Kozga wybawiß zle dzieie zpuscil

Do Pana Ke

Kony

Sudcata

L. N°

RESPONSIO APOLOGETICA, Ad DISSERTATIONEM PRO PHILOSOPHIA PERIPATETICA aduersus RAMISTAS:

A

DN. PHIL. SCHERBIO MED. ET PHILOS. ALTORFINO promulgatam.

In qua & celebriores, de quibus diuturna manet inter Peripateticos & Rameos controuersia, Rhetorices, Logices, ac Physices quæstiones pro Rameis ita perspicuè disputantur:

Et omnes, quibus Rameos Dn. PH. SCHERBIVS fœdè conspergere, & exosos in sua Dissertatione iuuentuti reddere conatus est, maculæ sic absterguntur:

Vt in his rebus Philosophiæ RAMEÆ sinceritas, ac innocentia: PERIPATETICÆ verò litigandi temeritas ac erronea docendi inconstantia Lectori candido possit hinc innotescere manifesta.

SCRIPTA pro veritatis & sanæ Philosophiæ Studiosis ab

HENNINGO RENNEMANO PAPÆBVRGO SAX.

DISSERTATIONE Dn. Phil. Scherbij, cui respondetur, ipsâ, singulis Responsionis capitibus in gratiam Lectoris præfixa.

Cum indice Quæstionum & rerum hîc discussarum dedicationi subiecto.

FRANCOFVRTI ad Mœnum excudebat Iohannes Spies, Anno 1595.

VIRTVTIS DECORE, DOCTRINAE LAVDE, ET GENERIS SPLENDORE CLARISSIMO VIRO Domino IOANNI LVBBREN, I. V. D. Patricio Hildesheimo, & Illustriss. inferioris Saxoniæ Angariæ, &c. Ducum Consiliario Mecœnati ac Fautori colendo.

PRæiudicium, temeraria vetustatis obseruantia suffultum, potissimam discordijs ansam præbere: plurimaque, cùm in varijs disciplinis, tùm in omni vitæ genere, ruinam minitantium, huc usque sustinere, næuorum propugnacula: latere te, virtute, doctrinaque, Vir amplissime, minimè potest: si discordes in Scholis degentium greges: & in Reipub. vitæque communis statu lubricos admodum sensuum ciuitatis secessus, & voluntates transsultorias paullò profundiùs contemplari fortè mens fuerit. Vt enim diuturnas & sanguinolentas in Religione Christiana rixas, quas à parte Pontificia, flexæ planè fidei, sola nutrit annorum fortè millium, quamuis hoc etiam

 falsò

falsò iactitent, interrupta sæpissimè præscriptio, non tangam: ut virulentas in Medicina non ita pridem subortas, inter Theophr. Paracelsum, & Galeni Sectatores, qui pariter ad antiquitatis, annorum bis mille, vel amplius, ab Hippocratis usq; seculo refugiunt asyla, turbas omittam: ut item iuris Interpretum quorundam, qui certatim suis, non tàm iustioribus, quàm communioribus, & antiquioribus stipati ferè semper opinionum suffragijs in conflictum prodeunt, contentiones forsitan innumerabiles prætercam: ut deniq; in communi vitæ tàm priuatæ, quàm publicæ cursu varios, ab antiqua consuetudine, sicut opinantur, deriuatos aduersus honesti regulam, & salutis populi commodum, Mores, quod operis esset immensi, minimè commemorem:

Considera, quæso, mihi, Philosophiæ statum nostro tàm procellosum seculo: quem nobis vnicum illud, annorum bis mille, multoties licèt interruptum suscitauit interuallum, ab Aristotelis ætate repetitum.

Cùm enim de multis doctrinæ viri huius, in scriptis suis Philosophicis, post veteres & recentiores prudentissimè nos admonuerit, & paullò quidem liberiùs, hoc seculo nostro, ne-

nis:

nis: PETRVS ille RAMVS in florentissima totius Europæ Parisiorum Schola Philosophiæ Professor publicus: densissima Peripateticorum caterua minaciter insurrexit: & saluberrimo magni viri consilio propugnaculum hoc obiecit: ex auctoritate Aristotelis, & antiquitate doctrinæ ipsius vafrè constructum, posteaq́ue tenacissimo, de certitudine, & immota veritate Peripateticorum scriptorum, præiudicio conglutinatum.

Quod licèt ille suo tempore polita sua atque limatissima Rationis liberæ, & præiudiciorum catenis minimè constrictæ, machina sæpè disploserit, & eneruârit: attamen Hydræ in morem ferè semper coalescit, & tanto cum Reipub. dispendio, quo minùs imperita iuuentus è flexuoso disciplinarum, & inutilissimis ambagibus irretito, in veram philosophandi viam, transsilire Labyrintho possit, obstaculo iacet: vt homo cordatus admiratione duci possit: in tàm lubrico, & arenoso certitudinis vanæ fundamento, tantum fidei permultos huc vsque ponere homines: vt tenebras luci: confusionem ordini: vanitatem vtilitati: dispendium compendio: & in summa, falsum & vagum vero certoq́ue non erubescant anteferre.

Quid enim habet Ariſtoteles præ Ramo, & alijs Philoſophis ſincerioribus: vt hiſce cum certa ratione diſſertantibus adhibenda ſit fides omninò nulla: ſoli verò Peripatetico ſtandum: in illius cerebri phantaſmata pedibus eundum: aduerſus illius edicta Prætoria, ne quidem muſsitandum? Fuerit ſanè doctior: de quo tamen dubitat non nemo. Quid tum? non Quis *dicat: ſed* Quid *dicatur, hoc attendi debere, clamant omnes vno ore Philoſophi: & hic ipſe, de quo controuerſia. Doctus fuit procul dubiò Socrates: Plato ſapientiſsimus hominum Oraculi Teſtimonio dilaudatus eſt: attamen horum, præceptorum inſuper ſuorum, probabilibus effatis, Veritatem præferre, ſanctius eſſe, ſanè perquam Philoſophicè credit, & magnificè ſentit in Ideæ diſputationibus Ethicis Ariſtoteles. Qui cùm ſit hac vſus aduerſus illorum valdè probabilem, immò, ſi cùm ſalis candore condiatur, certiſsimam de ſummo hominis bono ſententiam: qui præceptores fuerant, & hominum iſtoc tempore ſapientiſsimi: cur illa noſtris denegabitur in longè iuſtioribus vti cauſis, aduerſus incondita quædam, & ſæpè manifeſtò falſa Peripatetici decreta? Nonne, ſi, quod quiſq; iuris in al-*

terum

terum ſtatuerit, vt ipſe pòſt eodem iure vtatur, æquitatem ſummam habet: quod Ariſtoteles in perſona Socratis & Platonis æquum credidit: id in ſua ipſius etiam perſona valere patietur? Non negabit hoc æquus arbiter: & acclamat omnis ratio: vt rationum, non auctoritatum, pondere veritas æſtimetur.

Quid igitur reſtat: nihil omninò: præter Antiquitatem, & annorum bis mille curſum. Hæc autem veritatis norma? nihil minùs: nulli hoc Sapientum venit vſquam in mentem. Antiqua certè ſuam merentur laudem: veneranda ſunt: at non adoranda: niſi ad exactam Rationis & Vſus *normam conformata. Quo caſu non propter Antiquitatem fides illis habebitur: ſed propter* optimam Rationem: *propter* ſollertem Vſum. *Ratione bona viuunt antiqua: vſu vigent: ſplendorem habent ab annis externum: veriſimili quadam præſumtione ſuffultum: quòd videantur vera, quæ tot annis, à tot viris, apparent ita credita. At veriſimilis, inquam, hæc eſt præſumtio, non neceſſaria: cuius cùm veritatis omnes deſubitò vaneſcant ſpecies: quā primùm genuina veritatis neceſſariæ in contrarium*

patescit effigies: quanta quæso temeritas est, & confidentia: si leuis præsumtio fortißimæ veritati, & verisimile Necessario nolit loco cedere? cùm præsumtioni tamdiu duntaxat locus sit: donec contrarium probetur, vt Iureconsultus ait.

Quippe in certitudinis & Veritatis æde locus Antiquitati nudæ nullus omninò. Si verò detur Antiquis honorificentior sedes, quod fit vt plurimùm: non quòd Antiqua sint, idcircò fit: sed quòd bona ratione, sanoq; *sint* vsu *stabilita.*

Id quod, longè saniores hac in re Philosophis, illi Iuris conditores sapientißimi sciuerunt: qui dicunt equidem leges antiquas minimè mutandas: *at non dicunt de omnibus: sed* quæ interpretationem certam, *hoc est, ratione nitentem*, semper habuerunt *l. minim. D. de Leg. Dicunt ijdem:* ne recedatur ab eo iure, quod diu fuit æquum visum: *attamen ita:* nisi poscat innouationes euidens vtilitas. *l. in rebus. D. de constit. princ.* Licèt enim facilè nihil mutandum sit ex solemnibus: vbi tamen æquitas euidens poscit, subueniendum fuerit a

quæ

quæ modestißima Marcelli Iurisc. sententia, l. etsi. D. de Reg. iur.

Quod si legibus contingit ab auctoritate Principis summi profectis: quæ tàm deploranda seruitus est Rationis humanæ, igniculi istius, & imaginis diuinæ: vt hominis priuati se commentationibus humanis subijcere, & alienæ quiduis credendi libidini turpiter seruire debeat?

Sed quò delabor? ita se res habet: & eò gens Peripatetica deuenit: vt veritatis in placitis Aristotelis certißimæ præiudicio dementata: scriptorum illius Antiquitatem pro fundamento certitudinis posuerit: reiectis alto cum supercilio, & fastidiosè spretis omnibus: quæcunque possunt aduersus illa sano cum Rationis iudicio produci: non secus, atque si solus Aristoteles homo fuerit, & humana ratione donatus: reliqui verò vel stipites: vel saltem longiùs ab hominis natura remoti. Hæc enim cottidiana talium cantilena: vt si sua, suique similium commenta velint in vulgus dilaudare: magnis illa præconijs efferant: non tàm quòd Rationi & Vsui: sed quòd celebratißimæ sint Aristotelis Philosophiæ consona. Si verò nostrorum vituperare scripta sit animus: non quòd illa fal-

sa: sed quòd Aristotelis Philosophiæ contraria sint, ob hanc illa causam damnant, & radicitus exstirpare cupiunt. Quasi verò sanctissimæ veritatis norma sint, & amussis, Aristotelis commenta: hominis profani, & humanis vtiq; vitijs ac erroribus obnoxij.

Cuius rei videre licet euidens, in Dn. Philippi Scherbij Medici, & Philosophi Altorfini Dissertatione, pro Peripateticis aduersus Ramistas, ante quinquennium typis promulgata, specimen. Qui cùm vir sit auctoritate potens, & varia doctrina magnus, post multos, qui multis ab hinc annis in P. Ramo mordendo genuinum fregerunt, & ipse vires ingenij suas, in oppugnanda Rami Philosophia, volens ostentare, nemine, quod ego quidem sciam, lacessente, palæstram certaminis huius, Antagonistis alijs sat cautè quiescentibus, restaurare conatus fuit.

In qua scopus hic ipsi propositus fuit, quem Demosthenes contra Eubuliden à calumniatoribus spectari dicit: vt omnia P. Rami dicta in crimen vocaret: probaret ipsius nihil: bona autem sicco pede transiret, si qua forsitan offendisset præ liuore. Quem vt obtinere posset: in ipso confestim limine, præiudicij, &

cij, & annorum bis mille suffragijs armatus, verè, & philosophicè libertatem iudicandi sustulit: Aristotelicis, hoc est, antiquis, auscultandum sine contradictione præcipiens. Quo posito fundamine: comprobauit Aristotelis ad vnum omnia: quæ forent incommodiùs dicta, leniter excusando: quæ verò planè futilia, velis remisq; palliando: ne vel in minimo reus erroris argui potesset. Vnde speciosum postea sibi patescere putauit inuectiuarum campum: in quo discursitando phaleratis scommatis, sarcasmis, sannis, & mordacibus admodum conuiciorum flosculis, se cum suis oblectare quiret.

Inter quos eminet, in quo sibi vehementer placuit, ille: quo Philosophiam Rameam scabiei nimis ignobili & epidemico morbo confert: quem Medicus ipse pharmaco quodam conetur, ex Hipponacteis præconijs & Archilochijs edictis, succo lolliginis, in testaceo calumniæ vasculo, diu multumq; maceratis, exquisita magnaq; cum diligentia composito, iuuentutis ex animis euellere.

Quo ne potionis genere nostra iuuentus inebriata, si forsitan id incautiùs sorbuisset, dementaretur: cùm nullus huc vsque

prodie-

prodierit Antagonista, qui ferociter nobis insultantem repulisset: Antidotum primùm veritatis & innocentiæ defensandæ causa libuit opponere: deinde, ne vel suo tàm specioso Medicus malagmate multorum minùs acutos perstringeret mentis oculos, & suauiloqua sua loquendi fistula forsitan allectas obtunderet aures, rem non ingratam iuuentuti nostræ facturum me credidi: si totam hanc in cura Scherbiana medendi rationem, numquid ad Hippocratis & Galeni nostri, hoc est, Rationis Logicæ præscriptas curandi formulas esset instituta, penitius introspicerem: & herbas ordine singulas, ex quibus pharmacum confecisset, ecquid veris medendi qualitatibus essent imbutæ, pressiùs ope ignis, hoc est, eiusdem Rationis, per artem extractionis Chymicam, hoc est, Syllogismi regulas examinarem.

Quod etsi pergraue mihi primò videbatur, aliud vitæ studiorumq́; genus ingresso dudum, & cùm priuatis, tùm publicis professionis artium studijs præpedito: insuper res foret periculi plena fortissimi telis Antagonistæ caput obiectare: suasit tamen, & tandem persuasit: cùm ratio publica: vt pro talento mihi concredito & rem litterariam iuuarem: & Philoso-

phiæ

phiæ genus innocens ac ſyncerum, unà cum philoſophandi commodiſsima Methodo, & auctore illius optimo, quantùm liceret, è calumniæ faucibus eriperem: ſtudioſos item veritatis adoleſcentes, à ſpinoſis & intricatiſsimis Peripateticorum diuerticulis, in veram, cum ratione philoſophandi, viam reducerem: tùm priuata: ut exiſtimationi meæ, cùm in hac Academia, tùm maximè in patria noſtra, tantò meliùs conſulerem.

Cùm enim huc uſq; non ſine meorum, qui fuerunt in bonis, cum ingenio mediocri, litteris accubui, & adſidui, ſingulari (rumpantur licèt ilia Codro) profectu, præter extraordinarias operas, Logices ac Ethices præcepta, ex Dn. Philippi, Agricolæ, Chytræi, Iohan. Caſi, Pauli ab Eitzen, & aliorum in his artibus publicè conſcriptis libris, publicè profeſſus in noſtro Saxonum Collegio fuerim, iuxta Methodum Philoſophiæ Rameæ: illius ſcilicet: quam Dn. Scherbius, ut erroneam, confuſam, turbulentam, pernicioſiſsimam deniq; peſtem liberalium ſtudiorum traducere, & exoſam vulgo reddere ſummo laboret opere: ne quid inde periculi redundaret in me, ſi fortaſsis in huiuſmodi doctrinæ traditæ ſuſpicionem apud eos,

quo-

quorum auctoritate sum iuuentuti nostræ præfectus informandæ, quod Deus prohibeßit, incidere contingeret: maturè præcauendum mihi satius hac Apologia putaui.

E qua Lector candidus perspicuè deprehendet: horum omnium, quorum reus agitur ab Aduersario Philosophia Ramea, cum auctore suo criminũ, ne minimum quidem, vel in ipsa doctrina, vel auctore legitimè aut saltem verosimiliter comprobari posse: ex aduerso autem Peripatetici Principis ita notorios esse næuos, ita crassas ex multa parte maculas: ut nullo distinctionum pallio tegi: nulla subtilitatis Sophisticæ spongia penitus abstergi poßint: vtut in illis abluendis Aduersarius hic meus omnes ingenij corporisq́; neruos fortiter intenderit: manibus pedibusq́; connisus frustra sit. Vt illi, qui nondum planè violentia præiudiciorum, et amoris ac odij, vel potiùs inuidiæ tempestate concussus de potestate sanæ mentis abijt, ad iudicandum facilè sit, & intelligendum: Rameam Philosophiam non modò criminibus illis obnoxiam non esse: sed ea meliorem iuuenilibus nondum studijs repertam: nullam solidioribus certitudinis principijs suffultam: rectio-

rectiore verò veritatis amussi directam penitus esse nullam.

Quam cur̄ sub tuo velim, generis splendore, virtute, atq; doctrina præstantissime Vir, in lucem prodire patrocinio: causa non una me mouit, commotumq́; dedit. Vt enim pluribus illud non repetam, quod antè tetigi: mea plurimum interesse: ne calumniæ telis sauciatum Philosophiæ Rameæ decus, apud Ciuitatis vestræ, maximè Brandiadum, *sub quorum Patrocinio nostræ florent huc vsq; Musæ, Proceres vilescere contingat, & exosum traduci: certè tuæ quoq; Familiæ causa, cuius tu iam Princeps, & vnica columna, fauente Deo, multum mea refert: ne disciplina huius Collegij nostra, cui tuos etiam Familiæ surculos huc vsq; commendare solitus es, in sana Philosophiæ, Iurisq́; doctrina, per Dei timorem propagandos, in vanitatis, & erroneæ doctrinarum confusionis suspicionem concidat.*

Cùm itaq; in Patrono huic opusculo, pro more recepto, diutiùs circumspicerem conquirendo: tandem in te clarissime Vir oculos & animum, cùm ob illam, tùm hanc quoque causam conuerti meum: quod & ex alijs

indi-

indicijs vero perquàm similibus: & ex nuperrimo, cùm ad hanc Academiam honoris, & amoris, ut par est, ergó (quippe cuius in Collegio nostro fidelissimus olim fuisti alumnus, & inibi Philosophiæ iurisq́ fundamenta iecisti) reuisendam commigrares, colloquio tantum licuit animaduertere mihi: ut certò mihi persuasum sit: hoc oblatum Scholasticæ, & vulgò vilis habitæ vitæ munus, quod à plerisq́ tuæ conditionis & ordinis, prôh dolor, fit, neutiquam tibi despicatui, vel odio futurum.

Non tantùm, quòd ipsemet in non leuem huius philosophandi viæ, quam ab iniustissimis obtrectationibus vindicare mens est, per diuersas Germaniæ, Italiæ, & ipsius, unde noster hic oriundus, Galliæ Academias notitiam proculdubio perueneris: sed etiam quòd istius Reipub. modò ciuis es: in cuius Gymnasio sub auctoritate tua, tuæq́ Familiæ Procerum, qui antehac ad clauum Reipub. patriæ sessitârunt, & adhuc aliqui sedent, ab eo vsq́ tempore, quo doctiss. vir Dn. Henricus Temmius Huxarianus, Phil. Magister, & insignis hoc tempore in Imperiali urbe Goslaria Theologus, ex Brunouicensium Dn. Matthiæ Bergij, p.m. Schola Cathariniana, quæ mater omnium fermè

totius Saxoniæ Rameæ Philoſophiæ ſtudio fla-
grantium Scholarum, in Andreanam veſtram
Philoſophandi genus hoc traduxit, per annos
continuè XVI. Philoſophiæ Rameæ præcepta
Dn. Philippi Melanchthonis Germaniæ Do-
ctorum facilè primi publicæ doctrinæ ſunt vti-
liſsimè, & magno cum diſcentium profectu
priuatim, ſæpeq́; publicè, cum libertate diſpu-
tandi Philoſophica, coniuncta.

Neq́; hoc tantùm: ſed multò maximè, quòd
iſtius Academiæ ciuis ante annos XIIX. præ-
cellens fueris: in qua cùm Ramus ipſe, propter
ardores belli ciuilis è Galliæ regno profugus, ho-
ſpitio liberali fuit, ab Academiæ proceribus
magnificè ſuſceptus: tùm etiam doctrina ipſius
ab eo tempore præſtantiſsimos ſui cultores &
propagatores, tàm in publicè profitendo, quàm
typis elegantiſsimis eam per orbem terrarum
diſpergendo ſemper reperit. Baſileam dico: il-
lam ipſam, quæ te Lauru Iuridica, cum Aca-
demiæ & vrbis totius, in Eraſmiano illo ſuo,
donauit applauſu: in cuius, ob inſignem doctri-
nam, & humanitatem, aduerſus exteros pluſ-
quàm mirabilem laudibus decantandis, & i-
pſe defatigari ſæpè ſoles: & Ramus ille magni-
ficam poſt diſceſſum Orationem ſuam, ſub Ba-

silex titulo, scriptam posteritati reliquit: in qua partim vixerunt isto tempore, partim viuunt adhuc illa Grynæorum, Amerbachiorum, Zuingerorum, Cœliorum, Huberorum, Sulcerorum, Pleterorum, Heruagiorum, Frobeniorum, Petreiorum, Cocciorum, &c. præclara totius Heluetiæ lumina: qui & à P. Ramo sunt in istac oratione splendidis laudum titulis decorati: & ipsimet Ramum fecere plurimi: inter reliquos omnes autem celeberrimus ille Theologus Zuingerus, piæ memoriæ, amicus olim tuus optimus, illum præceptoris loco coluit, & veneratus est, vt de se publicè profitetur in Ethicis suis ad Aristotelem commentis.

Quapropter, ne prolixitate nimia modum videar epistolæ transgressus: cùm plura dicere liceret in hanc causam, de beneuolentia aduersum me præclara, cùm Matris tuæ, Matronæ virtute atq; pietate apud suos celeberrimæ, cuius in familia ante X. annos, Nepotum ipsius in litteris & moribus informationi tunc præfectus, biennium vixi: tùm tua ipsius hîc in nupero mihi sat abundè colloquio, non verbis tantummodò, sed reipsa quoq; declarata: nequaquam dubito: quin illius, qui tibi, patriæq;

Reipublicæ clarus est, summis autem tuis & intimis in Academia tui studiosissima carissimus fuit, aduersus iniquas Aduersarij simul & elumbes inuectiuas, defensionem (quam, vt animi mei aduersus te, familiamq; tuam, obseruantiæ perpetuæ, & gratitudinis indicium leue, siquidem maius dare vires paupertinæ non sinunt, eminus saltem cernas, offero nunc humili vultu) liberali ac beneuolo, qualis huc vsque fuisti in simili causa erga alios, animo susceperis, æqui boniq; consulueris.

Quod vt fidenter à te sperare liceat: ita Deum precor Opt. vt te cum Vxore, & suauissima Sobole, atq; Matronarum in vrbe vestra clarissima, Matre veneranda, totaq; familia Nestoreos ad annos, Gloriæ suæ, vtilitati Ecclesiæ ac Reipubicæ, patriæ, commodo Familiæ, saluti proximi, & bonorum virorum litterati Status promotioni seruare velit, & incolumem tueri. Vale, & me cum studijs meis tibi commendatum sine. Erfurti: ex Saxonico splendidæ Brandiadum Familiæ tibi cognatione iunctæ, quod ante annos LXXIV. Reuerendus & verè Magnificus Vir Dn. D. Tilemannus Brandes, colendæ memoriæ,

Iurisconsultorum totius Saxoniæ suo seculo Princeps, Aui tui materni frater, exstruxit, & magnificentia memorabili dotauit, Collegio. XIV. Calend. Septemb. Anno Salutis extremæ CIƆ. IƆ. VC.

T. Amp. & Exc.

Obseruantiß.

M. Henningus Rennemanus Papæb.

PRO-

PROTESTATIO AVCTORIS AD LECTOREM BENEVOLVM.

CVM nihil tàm circumspectè, tamq; pensiculatè dici, & in publicum proferri possit: quod vel Zoilorum inuidia, vel maleuolorum calumnia non possit cauillis proscindere, & in partem rapere sinistram: verendum profectò mihi Lector beneuole: ne dum liberiùs aduersus Aristotelis antiqua, pro P. Rami nouis, in hac Apologia, & pręcedente Dissertatione mea, nimia amurulentia, & importunis clamoribus Aduersarij mei concitatus, disserui, reperiantur, qui velint hoc eò detorquere: quasi Aristotelem, clarũ illud humanæ sapientiæ sidus, cum Antiquitatis venerandæ decretis, præ nouis P. Rami, planè despiciam: vt ille cum antiquis ex animis discentium funditus eradicetur: hic verò cum nouis solus in Philosophiæ cathedram reponatur.

Contra quorum malesanas cauillationes, & execrabiles calumnias, hoc sciat Lector beneuolus: quòd, si ex animi sententia mei, quid hîc sentiam, profitendum mihi sit, ab vtroq; semper in omni studiorum genere, à prima pueritia sic abhorruerim: vt Aristotelis antiqua semper magnifecerim: nec ideò Rami

noua, quod Peripatetici faciunt, auersatus planè fuerim.

Fundamentum enim veritatis, quæ scopus est Philosophiæ summus, & optimus, Rationi & Vsui, tanquam firmissimis duabus columnis, inniti sentio: quarum hæc se dirigit ad illam: illa verò seipsam, hoc est, Rationem Logicam per Vsum, hoc est, Experientiam respicit, nec ab alia re dependet. Quidquid igitur ad immobilem, in Rationis discursu, congruit Amussim, & in Natura rerum Experientia comprobat: id vnicum & solum in Philosophia firmiter tenendum, & alacriter amplectendum: quidquid autem delirat ab istac Amussi, & in sua rerum natura testatur Experientia, quòd vel aliter se habeat, vel prorsus inutile sit, & vanum: id ex aduerso neutiquam probandum, nec inter Philosophiæ dogmata recipiendum censeo: siue illud, aut istud antiquum sit, siue nouum: siue Aristoteles id, siue Ramus testatum fecerit.

Quippe non ex antiquitate, vel nouitate: non ex Aristotele, vel Ramo veritatis ratio dependet: sed ex immobili veræ Rationis in Natura rei argumento: & Experientiæ sanæ testimonio. Vbicunq; igitur veritatis est ratio in contrarium manifesta: valeant antiqua, valeant noua: valeat Aristoteles, valeat Ramus: sola veritas, ex rei natura, per Rationis discur-

diſcurſum, & Experientia conquiſita, victoriam obtineat.

Hæc hæreſis eſt noſtra, & omnium cum ratione Philoſophantium: nullius adſuetum iurare in verba Magiſtri: ſoli Rationi obedire: ſoli Experientiæ credere: nulli autem homini, licèt omnium ſapientiſſimo, fidem habere certam: niſi Ratione, & Experientia, quod dicit, comprobare poſſit.

Nec idcircò vel Ariſtotelem contemno: vel Ramo nimis multum tribuo. Æquabili lance Rationis vtrumq; pondero: vtrumque diligenter & accuratè percurrendum puto: ſed ita: vt ad Rationis trutinam & Experientiæ lapidem lydium vterq; ſe ſuaq; patiatur examinari dogmata: vt alter ex altero ſui declarationem non dedignetur repetere mutuam. Vbi ſi Ramo grauior à fide Ariſtoteles, hunc præfero: ſi leuior, antefero Ramum. In dubio verò, ſi propter obſcuritatem, vel perplexitatem rerum naturæ rationis nequeat pondus ſatis accuratè diſcerni: quid hîc agendum? Fatebor ingenuè: ſequar id, quod magis eſt veriſimile, ſecundum Iureconſultos: hoc eſt, Ariſtotelem Ramo præponam: quòd ille tot ſeculorum, tot Philoſophorum teſtimonio ſit ſtabilitus: & antiquitate cultiſſima venerandus. Idq; ſi res ſit planè dubia: ſicut dixi. Nam aliâs ne mille quidem mihi ſeculorum ſecula tanti ponderis erunt, in Fi-

dei trutina: vt claræ veritati præiudicare valeant.

Non igitur omnia Rami: nec Aristotelis omnia: sed illa tantùm in illo, probo, quæ principijs ab ipsomet constitutis, cuiusmodi pleraq; sunt, insistunt: illa verò in isto, reprobo, quæ ad Rationis & Vsus normam directa, neutiquam sunt congrua: quorum tamen pars non ita magna.

In summa: quidquid veritatis & certitudinis principijs congruum posuit, qualia ipsius pleraq; sunt, Aristoteles, immò non omninò incongruum, licèt alicubi forsan deliret: id in vniuersum vel probo, vel moderatè fero: & vel nouis, idem licèt testantibus, propter reuerentiam & maiestatem antiquitatis venerandæ, præfero. Quidquid autem planè dissonat, vt accommodari ad captum rationis, & attemperari nequeat Experientiæ: nouis ad omne vicissim postpono: ex perpetua omnium benè philosophantium consuetudine: ex Rationis dictamine: ex SS. Scripturæ per Apostolum mandato: Omnia probate, &c.

Quocirca candidum Lectorem obnixè rogo: vt, quidquid in hac Apologia, & præcedente Dissertatione aduersus antiqua & Aristotelem, pro Ramo & nouis fortasse dictum fuit inclementiùs: id aduersarij mordacibus dictis, & calori Disputationis adscribat:

&iuxtà

& iuxtà hanc Proteſtationem meam, dubiò procul æquiſſimam, accipiat: nec in tranſuerſum per calumnias & obtrectationes inuidorum ſe pertrahi ſinat. Veritatis enim ſolius hîc cauſa controuertitur: quam quicunq; defenderit accuratiùs, is Ariſtoteles mihi erit: quicunq; verò petulanter læſerit: aut abreptus errore quidem præterierit, at monitus in viam redire noluerit: vel Sophiſta, vel ambitione & ignorantia turgidus, etiamſi Ramus ipſe foret, ex Philoſophiæ confinio ſit pellendus.

INDEX QVAESTIONVM ET RERVM IN HOC LIBELLO tractatarum.

finitio-

Dispu-

PRAE-

PRAEFATIO AVCTORIS AD LECTOREM PIVM ATQVE CANDIDVM.

QVò minùs ſcrupulum tibi, pie Lector atq; candide, ſubijciat, aut hæſitationes adferat hæc libelli huius inſcriptio: vt ei lumen explanationis aliquantum dilucidioris hac præfatione, priuſquam rei ſummam aggrediar, adhibeam, neceſſarium non arbitror.

Quippe neminem credo, vel mediocriter in ordine literatorum reperiri poſſe, qui tam remotiſſimis in angulorum tam diu latitauerit abditis: vt vel ignoret, quænam ſit illius, quam more vulgi Rameam nuncupamus, Philoſophiæ facies: vel ad amarulentas ſeculi noſtri Philoſophorum, qui ſe Peripateticos, & Ariſtotelicos appellant, tàm in Scholis triuialibus, quàm Academijs, in eam coniectas criminationes, hoſtiles inuectiuas, damnationes, proſcriptiones, & grauiſſima proborum in eandem contorta tela, non aures, aut animi ſenſa ſaltem ſemel erexerit. Quæ verò cauſa ſubſtet, ob quam ſub infelici prognatam ſidere tot maledictis, ab hinc annis continuè XL. & amplius, viri, non vulgi de grege, ſed ad clauum Reip. literariæ ſedentes, fixerint, damnauerint, in exilium eiecerint, tot verborum lacinijs contumelioſè lacerârint, & anathemate diuerberauerint: non æquè cognitum fuit, nec eſt huc vſq; plurimis. Magna enim pars hominum, maximè prouectiorum, qui relictis minutioribus hiſce, prout vi-

detur ipsis, studijs, & altioribus incumbentes, in ea, quam semel imbiberunt in puerili ætate, philosophandi ratione permanent: nec curiosiùs in incognitis disquirendis elaborant. Iuniorum pleriq;, Pythagoreorum more, sui in verba Magistri iurant, sine longiore perscrutationis cura: hunc consectantur, huius admirantur ingenium: quicquid dicit, laudant: id rursum si negat, laudant id quoq;: Comici verbis vt vti liceat. Si qui tamen ex his & illis aliquando sint, qui memores istius Regij: quòd altera pars etiam sit audienda, *penitiùs in abdita controuersiæ huius se penetrare connitantur: ferè contingit illis: vt præiudicij, suis à præceptoribus hausti, fascino retracti, facilè retrocedant: vel sinistrâ duntaxat aure huius rationes Philosophiæ accipiant; dextrâ iam antè prolepsibus asperis, & anticipato iudicio sat occupata. Quia verò tàm de diuino, quàm humano iure nihil abnormius est & inhumanius: quàm indictâ causâ, sine præuia & accuratissima cognitione, criminis aliquem condemnare: de cuius, an ita commissum sit, veritate sis adhuc in discrimine: cuilibet studio verè philosophandi ducto vix aliquid est necessum magis: quàm vt hanc illustris ordinis Philosophici causam, aduersus adflictam miserè Philosophiam Rameam, seposito ad tempus præiudicij sceptro, paulò pressiùs attrectet, & æquitatis benignæ trutinæ diligenter examinet æquissimâ.*

Cùm enim non agatur hîc de Asinivmbra: sed re omnium grauissima: quæ famam Auctoris sectæ huius, quam Iurisconsulti non immeritò vitæ censent æquiparandam; & Reipub. ad cuius vtilitatem promouen-

dam naturæ nos & ciuitatis ratio validè constringit, commodum vel incommodum concernit: profectò vigilandum fuerit, & omnes ingenij nerui in id attendendi cuilibet, in quo saltem mica pietatis & humanitatis residet: ne vel insonti, maculis eum infamiæ conspergendo, vitæ partem maiorem adimat: sontemué forsitan impunem abire sinat: vel etiam Reipub. damnum det irreparabile: siue tollendo, quod iuuenilem ætatem dexterrimè quibat erudire: siue ferendo, quod eandem maxima cum rei literariæ iacturâ detestabiles in errores præcipitat, & iura omnia tàm diuina quàm humana perturbat.

Quid verò famam dico? imò & ipsum caput hominis, & ipsius animæ sempiterna piacula pertingit. Quid enim, pie Lector, obsecro te, promeritum censes eum; qui multas erroneas opiniones, falsaque dogmata, contra omnes, tàm veteres quàm recentiores Philosophos, contra principia, & ex ijs deductas demonstrationes, imò contra praxin & experientiam ipsam, nec id in exilibus ac disputabilib. materijs, sed in ipsis quoque fundamentis insparsit: qui sanam doctrinam nouis, insuetis, ac obscuris & inconcinnis, absurdis, sine necessitate & causa ex mera ambitione, leuitate, curiositate & petulantia conquisitis vocibus, terminis ac phrasibus inuoluit ac deformauit? Quid eum: qui spretis veterum lucubrationibus noua & inaudita theoremata, ac phantasmata imperitis passim obtrudere conaretur? Quid porrò eum, qui pro-

Zach. Vrsin. in iudicio suo de P. Ramo.

Saltzhueb. in præfat. refut. logic. axiom.

pria cum figuratis, ea quæ per se dicuntur, cum ijs, quæ per accidens confunderet: imperfecta præcepta cum sana ratione, & ipsa natura pugnantia traderet: denique cœlum terræ misceret, & scientiarum limites egrederetur: heterogenea pro homogeneis obtruderet, necessaria pro contingentibus, secunda νοήματα pro primis, absoluta pro relatis, concreta pro abstractis, & infinita alia absurda & falsa pro veris & consentaneis venditaret?

Idem. *Quid eum deniq;: qui proponeret* axiomata per se optima & vtilissima, sed turpissimè & miserrimè dilacerata: ex quibus Cimmeriæ tenebræ nos obruerent, & omnis generis sectę hæresesq; quasi ab inferis excitarentur: qui Stoicam necessitatem introduceret, contingentiam rerum tolleret: omnes artes destrueret: rectam rationem, societatem, libertatem voluntatis, fortuita, naturam, motum, accidentia, actiones, tàm ciuiles, quàm naturales tolleret: ipsum (*horribile dictu!*) cœlum expugnaret, & Deo Opt. Max. (*ô os! ô frons! vbi pudor! vbi timor!*) bellum inferret? *Quid, inquam, promeritum censeres eiusmodi naturæ tam nefariũ monstrum: tam horribile portentum: tam detestabile spectrum? Aedepol si rediret in orbem sæuißimus Busiris, crudelis Phalaris: aut si quis fuit his truculentior Tyrannus: nusquam posset tam diros inuenire cruciatus, tam exquisita tormentorum genera: quibus supplicium sat dignum pro tot, tamq; trucibus maleficijs ab homine,*

mine,

mine, omnium quos vnquam sol hic adspexit, improbissimo sumeret. Nam si, quod Cicero refert, execrationibus sancitum fuit publicis, si quis erranti viam monstrare neuellet: vel mille mortibus adficiendus hic fuerit: qui ex adquisitâ ingenij malitiâ homines insuper in errores, & fallaciarum Labyrinthos inextricabiles præcipitat, vnà cum Reipub. & Religionis irrecuperabili iacturâ. 3. Offic.

Horum verò omnium, & multò plurium reus iam multos annos agitur Petrus quidem RAMVS, patria Veromanduus, natione Gallus, genere vitæ Philosophus, & Professor Regius in celeberrima totius Europæ Parisiorum Academia: intendentibus ei litem, non modò vulgi de grege plurimis, sed ipsis etiam, in regno Philosophico, Primatibus non paucis, per orbis Christiani Scholas, ad clauum rei literariæ sedentibus, penè maximas. Reus, inquam, agitur: ita tamen vt peragi nondum potuerit huc vsq;: multum licèt Actores sudauerint, multaq; per fas nefasq; moliti fuerint.

Cùm enim non modò iustissimè, sed etiam sanctè constitutum sit à Iureconsultis, vt in crimine capitali probationes sint euidentissimæ, & luce meridiana clariores: factum fuit hinc: vt æqui iudices, propterea quòd actores in euidentiâ facti demonstranda vel succumberent vel hæsitarent, ab actione intentata vel absoluerint hunc Reum: vel saltem probationis terminos, ipsam interea causam relinquentes in suspenso, prorogauerint: qui verò legitimè conuictum criminis intentati damnauerint, adhuc nulli sint inuenti: nisi quòd Actores ipsi, contra iura omnia, & omnem æqui-

tatis rationem, iudicis officium sumentes sibi, non semel iniquam de ipso tulerint sententiam: eiusmodi tamen, quæ propter euidentes Nullitatis, vt hodie Iureconsulti loquuntur, causas non vnas in rem transire iudicatam non valuerit.

Quocirca pendente sic lite dubio adhuc euentu, ne pij atq; candidi bonarum literarum Studiosi, alijq; rei Scholasticæ præfecti viri Politici cæca simul exspectatione penderent, & incerti viarum illi, in cursu suorum studiorum, lubricis & erroneis vagarentur sedibus: operæ precium sanè maximum foret: exstare quandam litis huius in vtramq; disceptatæ partem σκιογραφίαν & delineationem qualemcunq;: in qua, deductis hinc inde per intentionem, exceptiones & replicationes causæ meritis, quiuis saltem mediocriter eruditus, modò pestilenti præiudicij telo non esset transfixus, discernere posset, & suis ipsius dijudicare iudicij incorrupti viribus: vtra harum Sectarum, Philosophiam puto Rameam & Peripateticam, meliori iure suffulta, victrix euadere posset: & ecquid legitimè probari possent vlla crimina, quibus Rameas Aduersarij partes inuisas & infames tanto nisu reddere laborant.

Quamuis enim suas illa partes strenuè defenderit: & cùm ipsemet P. Ramus, tùm adseclæ ipsius, & discipuli scriptis publicè propositis, per exceptiones iustissimas, omnia aduersariorum tela retorta dederint, atq; vires actionis impugnando fortiter eliserint: vix tamen est, vt sine tædio & magno labore multæ lectionis, omnia perquirere poßit huius rei studiosus: quæ sunt hinc inde à varijs variè dispersa, & magnis sæpe volu-

mini-

minibus immixta. Ne dicam, quòd multos ab hoc labore deterrere facilè poßint calumniarum & conuiciorum plaustra: quæ illinc intorta, & hinc, sicut fieri solet, retorta, sunt actionibus ipsis importata, & ob acerbitatem partis aduersæ ita densè coagmentata, vt sine stomachi nauseâ deuorare vix ea poßit mansuetudinis studiosus.

Hoc itaq; oneris, breuiter summa rerum fastigia, & causæ huius grauiora momenta, ex præcipuis Litigatorum, qui cæteros auctoritate præcellunt, libellis, sine verborum asperitate, & nullius vlla cum iniuria, sparsim excerpta, in vnum quasi fasciculum contrahendi, quod in me suscipio, pie Lector atq; candide: quæso ne vel ægrè feras: vel sinistrè capias. Sic enim vt agerem, me nec vllum obtrectandi parti aduersæ desideriũ permouit: quippe, quòd ab asperitate me, quantum res ferre voluit, abstinui: nec vlla gloriolæ vel ambitionis scintilla succendit: quæ quidem in humili, si mihi spectata fuisset, hoc scriptionis genere, vel stulta planè, vel nimis elumbis esset: cùm in plausibilioribus & altioribus ista disquirenda fuisset, & si vellem, disquirere fortè non ineptè possem.

Causa verò, quæ me hunc in animum adduxit, partim publica, partim priuata visa fuit. Quarum illa sit in studiorum salute posita: vt quantum per me liceret, & laboranti veritati succurrerem: & partis alterius, si iniquo prægrauaretur odio forsitan, innocentiam, & doctrinæ integritatem defensarem. Ista verò in conscientiæ meæ sinceritate custodienda: cùm vt ipsemet etiam, non immemor iuramenti Philosophicæ Facul-

tati in illuſtri IVLIA *præſtiti, pro virili honorem & decus rei Philoſophicæ propagare ſtuderem: & meæ in philoſophandi ſtudio methodi, quam hîc, & alibi ſum profeſſus, rationem iuſtam redderem: tum etiam, vt gratitudinis aliquod, aduerſus P. Ramum, præceptorem in operibus editis meum, benè de me meritum, quibus acceptum refero, quicquid in ſtudijs, quantulumcunq; ſit illud, teneo, monumentum ponerem: & ad defenſionem ipſius robuſtiorem, qui huic oneri ſuſtinendo magis eſſent, alios extimularem.*

Quod ſiue expeditum mihi fuerit: ſiue impeditum, vt ad ſcopum mihi præfixum, per importunos oſorum clamores, & hoſtiles machinas collimare nequeam: me mens veri ſibi conſcia ſolabitur; & hoc inſuper Senecæ: Quòd magnarũ rerum licèt ſucceſſus non fuerit: honeſtus tamen ipſe conatus ſit. *Quippe*

Eſt aliquid, prodire tenus: ſi non datur vltra. *Et ἐν μεγάλοις ἀρκεῖ καὶ τὸ θέλημα μόνον.*

De pijs atq; candidis certò mihi perſuaſum habeo: quòd illi, cùm ſciant de quolibet inutili verbo, dicente Apoſtolo, reddi rationem ſummo iudici debere, temerè damnare, priuſquam, quid rei ſit, penitus ſciant, grande nefas duxerint: iſti verò, quæcunq; dicta ſcriptaq; fuerunt ab hoc auctore, niſi grauiſſima ſubſtet aliter ſentiendi cauſa, nec ſiniſtrè interpretati, nec perfidè calumniati fuerint.

Obtrectatores autem, & ſcurriliter in bonos viros debacchantes Dei & hominum ſincerè ſentientium iudicio iuſtiſſimo relinquo: teq;, Lector optime, benè valere, & incorruptæ veritati ſtudere iubeo.

EXOR-

EXORDIVM CVM PRINCIPE DISSERTATIONIS

futuræ statu posito, & distributo.

GRAVIS est illa, licèt minimè suauis, apud Ascræum poëtam illum vetustissimum de quodam Prometheo fabella. Cui cùm Iupiter succenseret admodum, propter ignem de cœlo furtim subtractũ; & forma præstantem puellam, ac ingenio versutam, Deorum ope procreatam, cui Pandoræ nomẽ indiderat, cum pixide quadam calamitatibus omnis generis refertâ, muneris instar, mittendam decreuisset vlciscendi sui causâ: ipse non ignarus huiusce Iouis consilij, & recordatus diuerbij: ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα: cùm peregrè migrandum esset: fratri suo Epimetheo, quem solum domi linquebat, in mandatis dedit: vt ne munus vllũ, à Ioue sibi transmissum, qualecunq; foret, acciperet. Cuius cùm fortè cepisset hunc obliuio fratrem, & paulò pòst Pandora puella veniens à Ioue splendidũ pixidis donum offerret: accepit ipse, & mox aperuit. Apertâ, prouolârunt omnis generis infortunia, miseriæ, ærumnæ, calamitates, & dicendo breuiter: mala omnia Deorum vindictâ pixide conclusa: & ex eo manserunt in hoc or-

be: cùm antè beata ſemper, & aurea floruiſſent ſecula.

Quæ tametſi variè fuit à Mythologicis explicata: conueniunt pleriq; tamen omnes in eo, quòd Protoplaſtorum lapſus, ſiue ex inſcitia, ſiue calliditate, tectè ſit indicatus: vt Pandora ſerpentē notet à Diabolis ſubornatam: Dein Epimetheus primos parentes: qui prohibente Deo Creatore ſuo pixidem, hoc eſt, pomum arripuerint: Ignis autem ſublatus diuinæ mentis ſpiraculum, hoc eſt, Rationem ſignificet: quam Dux inferorum, cum complicibus ſuis in homines cum beatitudine æterna ſibi præreptâ collocatam videbat & inuidebat.

Hinc igitur vt omne malorum Ilias ſe deriuauit: ita mentis etiam igniculus iſte penè ſuffocatus eſt: vt ἀταξία καὶ δυσκρασία, in intellectu, tenebricoſis erroribus obducto, & voluntate, prauis libidinum faſcinis ſeductâ, totam penitus obſederit. Vnde à condito vſque mundo non modò in Religionis negocium inuectæ ſunt alucinationes exſecrandæ: ſed extra Eccleſiam etiam in reliquis humanæ ſapientiæ ruderibus admodum horribilis, variarum opinionū tempeſtate ſuborta, mox eſt diſturbatio. Quæ cùm in Græcia Socratis, Platonis, & poſt hunc Ariſtotelis admirandæ ſapientiæ virorum conſilio doctrinâq; ſopita paululum fuiſſet: abeuntibus his, in inſatiabi-

les iterum vanitatis, & errorum flammas exarsit: morosis Stoicis, vanis Epicureis, & vagis Academicis frigidã, tàm apud Græcos, quàm Latinos suffundentibus. Quorum licèt omnium non fuerint paradoxa adoxa: fuerunt tamen ita prauis, dogmatis inutilis, & futilis, fascinata lenocinijs: vt vnà cum sentibus & spinis fragrantissimi simul sint à doctis abrepti flosculi.

Quo rerum statu, cùm rursus in saniori philosophandi viâ, quam Peripatetici monstrauerant, florente Romanorũ imperio sub Consulibus primùm, deinde Augustis, aliquandiu fuisset ambulatum: Græcia & Italia Barbarorum vastationibus depopulatis: horribile vicissim, vt iam antè in Religionem, sic paulò pòst in Philosophiam chaos errorum, & inextricabiles Labyrinthi tanta cum turbulentia sunt inuecti: vt, qui omnes ætatis annos in hisce tricis, & Mæandris irremeabilibus contriuerant, pro sophis, asophi, pro sapientibus, hominum stultissimi non immeritò sint habiti. Eò enim dementiæ mens studiosorum peruenerat: vt artium praxin non ad finem in vita vtilem: sed in Logodædalias, ineptissimas ineptias, nugacissimas nugas, tædiosas nænias, ac ociosas quæstiunculas, ab illis, qui ὔθ' ὕοντι, ὔθ' ἡλιῶντι, vt dicitur in prouerbio, hoc est, qui in Scholarũ puluere submersi, vel in Monasteriorum abditis per o-

mne

mne vitæ ſuæ tempus deliteſcentes, quid vſus vitæ ferret in Eccleſijs & Rebuſp. neque ſcirent, neq; diſcere vellent, ſomnolenter excogitatas ſtultiſſimo planè conatu tranſmouerent. Hinc illæ monſtroſæ Philoſophorum pullulauere Sectæ: hinc ex omnibus mundi angulis alij Nominales: alij Reales: alij Scotiſtæ: alij Thomiſtæ: alij Albertiſtæ: Occamiſtæ, &c. alij aliter ſunt nuncupati.

Quæ malorum lerna, quæ Philoſophię larua, tantum, quod incredibile dictu forſitan videbitur, roboris accepit: vt diu multumq́; cum verè Philoſophis, priore ſeculo, progreſſu temporis ex varijs Europæ partibus, hîc illic in lucem prodeuntibus, modò ventilationibus, modò iuſta acie conflictata fuerit: donec tandem prioribus aliquot huius ſeculi decurijs, ex immenſis Dei Opt. & Max. beneficijs, vna cum Theologiæ multimodè maculatæ puritate priſtina reſtituta, ſimul etiam, cùm per alios plures eruditione virtuteq́; per Europam clariſſimos: tùm præcipuè per Dn. PHILIPPVM MELANCHTHONA, Theologum & Philoſophum huius ſeculi, in orbis Chriſtiani regimine, longè præſtantiſſimum, purioris omnis in Germania literaturæ parentem, & præceptorem communem, vera veræ Philoſophiæ lux pleniùs eſt reſtituta, dogmata artium ritè, perſpicuè, & breuiter concepta, adq́; vſum in vita communi vtilem

ex ſcho-

ex ſcholaſticis rixarum & futilium contentionum tenebris ſolerter ſunt reuocata. Ex quo demum tempore maiora ſemper incrementa cepit, & radios ſuæ lucis indies Philoſophia clariores in omnes orbes & vrbes diſperſit: donec ad Peripateticum ſummi Ariſtotelis portum, ex immenſo Sophiſtarum nugiuendorum pelago, tutus itus atq; reditus eſt patefactus.

Sic igitur natiua lux cùm Philoſophico lumini eſſet reſtituta: longo tempore ſerena ſatis durauit, & vſui nauigationis aptiſſima tempeſtas. Quâ temporis occaſione tunc vſi Naucleri peritiſſimi in freto Ariſtotelis Philoſophico ſtrenuè laborârunt, & remis velisque conniſi ſunt: huius Philoſophi auctoritatem ſic ſatis ſartam tectamq; redderent: quò nullis in poſterum ignorantię tenebris, vel ſophiſtices fucis labefactari poſſet. Quod vt feliciter ipſis ceſſit: ita ſucceſſiſſet ex animi ſententia: niſi noua de ſubitò poſterioribus huius ſeculi decurijs, & illa quidem ſat periculoſa, nouæ tempeſtatis procella, Gallicis ex Veromanduorum fretis exorta, per Pariſiorum Sequanam propulſa, & ex hac in profundum Philoſophiæ Peripateticæ Oceanum diſturbata fuiſſet.

Poſtquam enim Peripatetici naucleri res ſuas eò deduxerant: vt ad Principis, & patris ſui Ariſtotelis effata, tanquam ad vnicam il-

lam, & inuariabilem cynosuram, omnem nauigij sui cursum dirigerent: nec contrà quisquam hiscere auderet: vnus ille PETRVS RAMVS adflatu quodam singulari excitatus, huius, de qua dixi, tempestatis, acerrimus commotor, exstitit: aliam supra Aristotelem cynosuram, aliamq; nauigandi viam commonstrans. Quod illi cùm ferrent indignè, qui iam tot annos ad gubernacula nauis Philosophicę sederant, & opinione vulgi habiti erant omniũ peritissimi: manibus pedibusq; incubuerunt: vt huic procellæ resistere, contraq; nitentes audentiùs dispellere potessent. Quo cùm nil promouerent, rebus desperatis, vt litem iuris decisioni permitterent, inducijs pactis, ad disputationes itum fuit: quæ duas nobis hac ætate procreauere Sectas, præ cæteris, quas anteriora tulere secula, longè celeberrimas, & per omnes Europæ regiones dispersas.

Quarum vna se nuncupari gaudet Aristotelicam, vel Peripateticam: altera primò Socraticam se ritè dixit: ast aduersarij per contemtum vocârunt eam Rameam vel Ramisticam. Quod vulgus iners, cui despicatui tunc habebatur ista, secutus fuit. Vnde Sectarij plerunq; Ramistæ nuncupantur.

Disputatum fuit igitur inter vtriusque Sectarios longo iam tempore: sed ita disputatum, vt Aristotelici non armis Philosophicis, quibus solis hac in pugna locus esse debebat: sed

sed partim subsidio Politicorũ per vim: partim verò dolo per calumnias frequentiùs Rameos innocentes oppresserint, in fugam dederint, & in exilium deniq; propulerint.

Quod vt perspicuè cernant pietatis & candoris in ordine literatorum studiosi: hæc, quæ Rameos ostendet esse Philosophos innocentes & integros: Aristotelicos verò cùm in illos, tùm in ipsam Philosophiam iniurios, & à meliore docendi discendique via solis adfectuum præiudicijs abreptos, Dissertatio mihi nunc instituitur. *Status dissertationis.*

Cuius idcircò duæ partes erunt. Quarum priore Philosophię Ramcę sinceritas demonstretur: posteriore Peripateticorum aduersus hanc calumniæ refutentur.

Priorem duabus capitibus expediam: primùm confirmando, quòd Ramea Philosophia rei literariæ sit omnium commodissima: deindè comprobando, quòd Aristotelis Peripatetica Philosophia longo pòst illam sit interuallo ponenda.

Commoditas & præstantia Rameæ Philosophiæ quò commodiùs percipi possit: duo vicissim capitis huius erunt membra. Quorũ prius describet, & ob oculos subijciet summariam totius Philosophiæ à Ramo & Rameis descriptæ delineationem: posterius, cur omnium præstantissima sit, rationes ex ista descriptione colliget. Idq; omne, vti præfatus

antè

antè sum, sine verborum asperitate, sine vlla hominis vllius contumelia.

IN PARTE PRIORE, Capitis Primi, *MEMBRVM PRIVS: Quid & qualis Philosophia, quæ vulgò dicitur RAMEA.*

IN hoc membro dilucidiùs explicando, duas iterum, quas mecum Lector candidus perpendet, facio particulas. Quarum prior est, de Petri Rami persona: posterior de doctrina ab ipso promulgata & defensa.

Membri prioris PARTICVLA PRIOR, agens de PETRI RAMI persona.

Ad PERSONAM quòd attinet, etsi vulgus parum putat interesse, qualis Doctor fuerit, modò doctrinam professus sanam siet: longè tamen aliter ratio, & secundum rationem sapientes dijudicant. *Qui sibi* enim *hoc sumsit, vt corrigat mores aliorum, ac peccata reprehendat: quis huic ignoscat, si qua in re ipse à religione officij declinârit? cùm, qui docent, nec faciunt ipsi, præceptis suis magnum pondus detrahant.* Itaq; oportet τὸν βίον τοῦ φιλοσόφου τῷ λόγῳ σύμφωνον εἶναι: ὅτι ὁ λόγος τοῦ φιλοσόφου νόμος αὐθαίρετος καὶ ἴδιός ἐστιν, hoc est, *æqualem ac parem verbis*, vt Cicero loquitur, *vitam agere*: quòd præcepta philosophi sint leges, quas ipse spontè præscripsit. Εἰ γὰρ μὴ ὁμολογή-

Cic. ver. 5.

Id. lib. de legib.

Orat. in Salust.

λογήσει ὁ λόγος ἤθει: ἀλλοτρίᾳ γλόττῃ δόξομεν φθέγγεσθαι, ὥσπερ οἱ αὐλοὶ, hoc eſt, ſi enim non congruit doctrina cum moribus: alienâ quaſi linguâ loqui videmur, inſtar tibiæ. Adeò, vt rectè Seneca: *nullos peius mereri de omnibus mortalibus iudicet, quàm qui aliter viuunt, quàm viuendum eſſe præcipiunt.* Huius itaque meritò ratio prior habebitur, antequam doctrinę formam producamus. *Ep. 108.*

Non autem hîc animus eſt, integram de vita viri huius hiſtoriam contexere: quam accuratè Ioh. Thomas Freigius, & accuratiùs Theophilus Banoſius, qui de Religione Chriſtiana libros Rameos edidit, conſcripſit: ſed illa duntaxat ὡς ἐν τύπῳ delibare, per quæ de vita Doctoris huius, qualis illa fuerit, Lector ſecurus eſſe poſſit.

Familia & Genus Rami.

Natus hic fuit anno Salutis M. D. XV. in familia, primitus illuſtri quidem: ſed quæ belli ciuilis calamitate redacta fuit in tantas anguſtias: vt auus ipſius, patriâ, manu hoſtili depopulata, profugus, & exſul in Veromanduorum agro Carbonariam exercere coactus ſit: pater verò paullò meliori reperta conditione ruris cultura vitæ quæſtum fecerit. Quam ſtemmatis fortunam quotquot exprobrârunt ipſi, inter quos ante paucos annos, Præceptoris ſui Schegkij bilem nimis immodicam ſecutus, cæteris importunior erat Nicodemus Friſchlinus: næ illi tam excordes, & deſperatè

maledici sunt: vt meritò miretur homo cordatus, eiusmodi muliebria vindictæ studia viris Philosophis in mentem venire quiuisse. Multò minùs paupertas ipsi vitio vertenda: quæ cùm magistra artis sit, τὰς τέχνας ἐγείρων: ipsum quoq; coëgit, vt adolescens patriâ relictâ Lutetiam Parisiorũ migrauerit: ibiq; duram quidem seruitutem in collegio Nauarræ, diù seruiendo, labore tamen ad Cleanthis lucernam adsiduo defunctus, tandem conscenderit ad summa doctrinæ Philosophicæ fastigia.

Studia & officiũ ipsius.

Ex quo cùm singularis & admirabilis indies eruditionis ipsius fama percrebuisset: eò peruenit post multas tempestatum procellas dignitatis: vt primùm Præleo Gymnasio præfectus: hinc ad postulationem Caroli Principis Lotharingi Cardinalis publico Henrici Galliarum Regis diplomate Regius in Regiam Cathedram Professor publico stipendio collocat[9], hanc philosophandi rationẽ, de qua nunc agitur, inuentam, gnauiter & acriter excoluerit, ac publicis euulgatam typis posteritati, totique mundo manifestam dederit. In quo discendi docendiq; munere, tota deniq; vita, quibus ille moribus verum se Philosophum præstiterit, vt luculenter explicetur, hic locus non admittit: cùm, quócunq; te vertas, omnia fuerint in hoc viro magna; omnia virtutum studijs grauiter accincta, gnauiter elaborata.

De

De pietate ipsius in Deum Christiana non opus est, vt verba proferam: cùm, qualis ipsi fides, & quanta Religionis cura fuerit, quem de Religione Christiana postremo vitæ curriculo scripsit, libell⁹ posthumus abundè testatum faciat. In quo licèt fortè nævus vnus atq; alter adhuc hæsitet, qui stomachũ tibi mouerit, bone lector, cogita: quòd nemo sit ex omni parte beatus: quodq́; sit hic cũ multis & magnis ipsi communis error, &, ciuiliter loquendo, minimè culpatus: vtpote qui tantis in Sorbonæ tenebris, inter tam crassa Pontificiæ religionis deliramenta, ex quibus vix in senili ætate quiuit emergere tandem, in tot vigilijs aliorum studiorum, tot curis, calamitatibus, & exilijs ab ipso forsan animaduerti non potuerit. *Pietas.*

Veritatis autem, candoris, mansuetudinis, sobrietatis, castitatis, αὐταρκείας, fidelitatis, diligentiæ, patientiæ, fortitudinis, beneficentiæ, & quæ continet omnes in se iustitiæ (ne dicam de sapientia & prudentia, quæ necessariò præsupponi debent) quàm euidentia relucceant ex operis ipsius, & rebus gestis argumenta: paucis hîc à me dici nequit. Ad illos itaq;, ne parum dicendo detraxisse quippiam viri tanti laudibus videar, qui suprà memorati sunt, Lectorem candidum dimitto. Res aperta satis: testantur operæ ipsius in oculis omnium positæ: testantur omnes boni & litterati: te- *Reliquæ virtutes.*

ſtantur ipſimet aduerſarij ſæpiùs acerrimi. Qui licèt omnes æqui pariter non fuerint: ex tanto tamen hoſtium numero, qui ex tanta vitiorum caterua, præterquam *quòd Ariſtoteli vel alijs maledixerit*, (ex hoc enim fonte ſunt omnes conuitiorum riuuli: & huc omnes iræ redeunt) vllum dederit opprobrio, nullus adhuc emerſit.

De aduerſarijs quod dixi, ſi dubitationem habere cenſes, onus incubuerit tibi, de Iuriſconſultorum regula, probandi: ſi factitatum ſic eſſe dicis, quod ego pernego.

Teſtimonia aliorū de Rami virtutib⁹.

De bonis nemo, niſi rerum ſit imperitus planè, controuerſiam mouebit. Exſtant enim præclara multorum per Germaniam maximè clariſſimorum iudicia, teſtium omni exceptione maiorū, vt Iuriſconſulti verbis vtar. Exſtat in narratione I. Th. Freigij, teſtis fide digniſſimi, quòd P. Ramum Iohannes electus Pannoniæ rex ampliſſimo propoſito ſtipendio ad Albæ Iuliæ Academiam regendam ex pattia vocauerit: Quòd Andreas Dudithius Epiſcopus Quinqueccleſienſis, & Romani Imperatoris legatus, nomine Sigiſmundi II. Poloniæ Regis, Cracoviam Profeſſoris ad obeundum munus inuitârit. Quòd Fridericus III. Elector imperij Romani Palatinus tanto ſit eum complexus amore: vt diſcedentem aurea ſui ſtemmatis imagine donauerit. Quòd Bononienſis Academia, referente Angelo Papio

Papio Iuriſconſulto ſui temporis optimo, ſcriptis litteris in locum Romuli Amuſei, qui mille ducatorum ſtipendio meruerat quotannis, exoptauerit. Quòd nobiliſſimæ Germanorũ ciuitates aliquot, & Academiæ, cùm propter belli ciuilis, quo patria miſerè flagrabat, ardorem, per ſuperiorem noſtræ Nationis tractum diſcurreret: Noriberga ſcilicet, Heidelberga, Francofurtum, Argentina, Auguſta Vindelicorum, Friburgum Briſgoiæ, Baſilea, Tigurum, &c. magnificis eum honoribus acceperint: acceptum hoſpitalitatis liberaliſſimis tractauerint humaniter officijs: benè tractatum, nunquam ſine munere dimiſerint.

Ne verò dicas, his, vt exteris, & procul ab eo diſſitis, mores ipſius non fuiſſe perſpectos: audi, quòd tres Galliarum nobiliſſimi reges Henricus II. Franciſcus II. & Carol⁹ IX. contra rabidiſſimos inuidorum, & calumniatorũ magni numeri morſus, à quibus toties accuſatus, damnatus, remotus, excluſus, & nulla non ignominia diuexatus fuerat, tandem miſerati fortunam tanta virtute indignam, in Regiam Profeſſionis Cathedram magnificè euexerint: euectum fortiter in poſſeſſione contra quorumlibet inſultus continua defenſauerint.

In qua ſtatione diutiùs, immenſo cum rei litterariæ commodo, Spartam ſibi commiſ- *Mors & exitus vitæ.*

ſam gnauiter ornare potuiſſet: niſi Lapitheæ Pariſiorum Nuptiæ IX. Kal. Septemb. Anno Salutis cIɔ. Iɔ. LXXII. Thyeſtæa ſollennitate peractæ telam caſu lamentabili rupiſſent. In hoc enim Centauræo conuiuio, cùm & expugnato Præleo, ex inſtinctu Sophiſtarum ac maleuolorum biduum fuiſſet anquiſitus, & ex eorundem proditus iudicio: tandem VII. Kal. eiſdem nefaria Sicarij furioſi manu inter commentandum trucidatus, ac multis ictibus confoſſus, ſpiritũ cùm traheret adhuc, ex altiore loco in plateam præcipitatus eſt: cùm priùs inter trucidandum fuiſſent hæc ab ipſo verba prolata: *Tibi ſoli peccaui ô Iehoua, & malum coram te feci: Iudicia tua veritas & iuſticia. Miſerere mei, & interfectoribus ignoſce, neſcientibus quid faciant.* Cadauer autem poſtea per publicas plateas pedibus fune colligatis hinc inde diſtractum, & in Sequanæ fluenta, capite priùs amputato, proiectum fuit. Scilicet,

Hoc precium vitæ, vigilatorumq́ʒ laborum
Magne vir! ingenio hæc pœna reperta tuo?

Hoc incipium: hæc vita: hic exitus vitæ fuit. Qui ne cui ſiniſtras cogitationes ingerat: ſi ſecum perpenderit homo pius: non quid Ariſtidi, Socrati, Ariſtoteli, Demoſtheni, Ciceroni, &c. ſed multò magis quid Saluatori noſtro, quid SS. Apoſtolis, quid multis Martyrum millibus hoc & ſuperioribus ſeculis, quid deniq; in illa ipſa laniena tot illuſtribus

viris,

viris, Principibus, Comitib. Baronibus, Nobilibus, Plebeijs, &c. sub mendacissimo coniurationis in Regiæ familiæ perniciem initæ prætextu, propter confessionem Religionis acciderit: profectò, nisi immanis, & excors omnem humanitatem exuerit: non modò dexterrimè iudicabit: sed etiam cum lacrymis hanc calamitatem non piè commiserari nequaquam poterit. Tantæ crudelitatis enim hoc fuit facinus: vt magnus quidem Gallici Regni consiliarius, quanquam velis remisque laborat in defensione huius laniènæ, conscientiæ tamen iudicio victus exclamet: *dicam ingenuè: ad tantarum rerum tam repentinas vices, & ad vrbis tam miserandam speciem, obstupui, ingemui, indolui, cohorrui totus!* Tanti quoque furoris & inhumanæ immanitatis: quòd vt nobilis Germaniæ poëta canit:

—— —— —— —— mitescere toruas
Iam sinat Eumenidas: vincat quòd Gorgonas, ipsos,
Thracas, & Harpyias: Siculos mansuescere reges
Quòd faciat: Phalarisq; bouem, & Busiridis aras
Molliat: & Diomedis equos, quondamq; feroces
Centauros superet: longè post seq; relinquat
Antiphaten, Scyllamq; ferum, Scyronq;, Scinimq;:
Et Cinnam, & sæuum præstet feritate Neronem.
Hoc facinus! quo non vidit Sol tristius vllum, &c.

Ne dicam, quòd ipſum cœlum, conſpecto facinore congemiſcens, contra omnem omnium Phyſicorũ regulam, eo ipſo menſe, nõ in Elementari regione; ſed in ipſo firmamento, ſub ſydere Caſſiopeiæ, nouam, & antea nunquam viſam produxerit ſtellam, & aliquantò pòſt rurſus occultauerit.

Quiſquis igitur in illis iſtud mortis genus improbat: in hoc viro cur probet, cùm ſubſit eadem cauſa, cauſam non inuenio. Quod de Perſona Philoſophi noſtri dixiſſe nunc in tranſcurſu, cum veritate, & hiſtoriæ publicæ fide ſufficiat. Ex quo ſi quid ſuſpicionis, etiam leuiſſimæ, decerpi poſſit, de tam horribili naturæ monſtro: tam impuro, ſuperbo, malitioſo, & nequiſſimo, ſub humanitatis ſpecie, Dæmonis ſpectro: ſicut calumniantur aduerſarij: Lectori bono coniectandum modò relinquo.

Membri prioris PARTICVLA POSTERIOR: *De doctrina, quæ Philoſophiæ Rameæ nomine tenetur comprehenſa.*

Iam ad Philoſophiæ, vel doctrinæ, quam P. Ramus eſt profeſſus, deſcriptionem venio: quam ſimiliter ſumma rerum tangendo capita, delineabo: non intermixtis illis, in quibus ipſi vel cum Ariſtoteli conuenit: vel quibus Ariſtotelem refellit. Idq; duobus concludam

rurſus

rursus articulis. Quorum prior habeat Philosophiæ Rameæ definitionem explicatione dilatatam: posterior eiusdem diuisionem.

ARTICVLVS PRIOR, DE PHILOSOPHIÆ DEFINITIONE.

SECTIO I. Quid Philosophia?

Missa igitur notatione nominis, missis variorum varijs definitionibus, Philosophia definitur ex mente Rami, quòd sit: *ordinata liberalium artium comprehensio.* Quæ bonæ definitionis conditiones definitio habet omnes: quòd & verbis constet perspicuis, &, quod maximum est, sit reciproca. Cùm, quicquid est Philosophicum, sit in artibus omne & solum: & ex aduerso, quod in artium naturam cadit, Philosophiæ solum sit, & omne subiectum. Et sic ex sententia summi Platonis: qui in Dialogo de Philosophia definit eam; quòd sit: ἐμπειρία τεχνῶν πασῶν τῶν ἀξιολόγων, hoc est, peritia artium omnium, quæ sunt æstimatione dignæ. Item Ciceronis, in oratione pro Archia, cùm dicit; omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habere quoddam commune vinculum, & quasi cognatione quadam inter se contineri. Vnde quibusdam scitè admodum πολυμάθεια, & ἐγκυκλοπαιδία vocatur: hoc ideò: quòd artium & doctrinarum omnium summas, tanquam in circulo perspicua breuitate comprehensas teneat.

Genus. Generis autē loco eſt comprehenſio: quam Græci non inſcitè σύστημα vocant: & ea quidem ordinata, hoc eſt, artificioſa conſtructio, & coordinatio omnium artium humanitatis in vnum quoddam corpus collectarū, ſecundum ordinis à generalibus ad ſpecialia præſcriptum.

Forma. Forma eſt ex ſubiecto occupante artium, non quidem omnium, ſed liberalium: quas, vt Plato loquitur ibidem, προσήκει τοῖς ἐλευθέροις μαθεῖν, ὅσαι ξυνέσεως ἔχονται, μὴ ὅσαι χειρουργίας, hoc eſt, quas decet liberos homines addiſcere, quæ intelligentiam maximè, non manuum miniſterium requirunt. Qua particula reijciuntur à Philoſophiæ confinio omnes artes Mechanicæ, & ſordidæ. Vis autem & pondus totum definitionis conſiſtit in Artibus: quæ quid ſint, vlteriùs explicandum.

SECT. II. Quid ars?

ARS apud P. Ramum definitur: *comprehenſio præceptorum in rebus vitæ vtilibus; ordine Catholicorum.* Quæ ſimiliter definitio ad amuſſim perfectę definitionis examinata, perfecta cuiuis ſano videbitur: quòd neq; definitio definito latior ſit, aut anguſtior: neq; viciſſim definitum, definitione. Et inſuper clariſſimorum virorum, Luciani in Dialogis, Quinctil. lib. II. orator. Inſtit. cap. XIIX. Rudolphi Agricolæ lib. II. Dial. cap. II. & ipſius D. Philip.

Melanch. lib. 1. Dial. tit. de prædicam. Qualit. auctoritate grauissimè stabilitur. Ex qua P. Ramus sua, quæ suæ Philosophiæ substrauit, fundamenta, quæ vulgò Principia sunt nuncupata, neruosè depromsit, & accuratè demonstrauit. In quibus cùm tota moles huius controuersiæ recumbat: & hæc sit arx causæ, quam inuadere debent, quotquot hanc Philosophandi rationem vituperant: de his paullò latiùs, ex pædia Logica Dn. Beurhusij Rameæ Philosophiæ Doctoris, & fidelissimi & felicissimi, & alijs, inquirendum.

SECT. III. Quid, & quotuplicia Rameæ Philosophiæ principia.

Principia generaliter appellat Ramus, *rationes animi constantes & perpetuas, ex quibus suæ Philosophiæ decreta construxit, & in quibus eorundem fundamenta stabiliuit immobilia.* Quæ secundum quattuor causarum genera quattuor constituit: *in fine: efficiente: materia & forma.* Cùm enim τὸ ἐπίστασθαι, vt Aristoteles 1. post. cap. 1. grauiter ait, sit, ὅταν τὴν αἰτίαν οἰώμεθα γινώσκειν, δι᾽ ἣν τὸ πρᾶγμά ἐστιν, hoc est, scire, per causas rem cognoscere, vt vulgò loquimur: commodiora doctrinæ huius, quam profitetur, principia dare nec debuit, nec potuit: quibus cognitis ipsam etiam scimus, hoc est, certam ac immotæ veritatis, (hoc enim scire est) esse nouimus.

SECT. IV. De primo artium principio.

Finis. *Finis* inter principia primum meritò locum tenet, ex hac definitionis particula, *vitæ vtilibus*, elicitus: qui homines ad artes & inueniendas olim promouit, & perdiscendas huc vsque compulit. Cuius duo capita sunt: σύνεσις, καὶ δύναμις ἑρμηνευτική, vel, vt à Thucyd. lib. II. rotundiùs & pressiùs sunt notata: γνῶσις, καὶ ἑρμηνεία τῶν δεόντων, hoc est, facultas notiones animo conceptas rectè explicandi, & rerum naturam rectè cognoscendi. Rerum tamen non omnium, sed τῶν δεόντων, hoc est, quarum vitæ communis vsus indiget. Quod omninò notandum aduersus illa studia: quorum nulla potest vtilitas ad vitam communem adferri. Latini breuiùs dicunt hoc: *Oratio & Ratio*: vel: *Sermo purus, & sincerum de rebus vtilibus iudicium.* Per Orationem enim puram vt animi sensa rectè queamus explicare: & per Rationem disertam incorruptum de rebus quibuslibet iudicium ferre: huc omnia laborum, quos artibus cognoscendis impendimus, referri debent studia. Ex quo sequitur: si quod artis genus fortè reperiatur, cuius cognitio nihil faciat ad alterutro ex his potiundum: quolibet hoc modo ab artium confinibus procul exterminandum esse.

SECT. V. De secundo artium principio: quid, & quotuplex?

Efficiens ſubſequitur ex his definitionis verbis, *comprehenſio præceptorum*, depromta: vtpote quæ à fine commota artium præcepta olim & inuenit, & artificioſè comprehendit. Secundum hæc igitur artis principium conſtituit. Eſtq; remota, vel propinqua. *Efficiens.*

Remota eſt, ſecundum Deum omnis boni fontem, doctiſſimus hominū ingenioſorum cœtus: qui ducti finibus iſtis, alijs item adiuti cauſis, paullatim artium fundamenta jecerunt: & progreſſu temporis ex præceptis hinc indè collectis σύστημα qualecunque fabricare conati ſunt. Cuiuſmodi primùm Hebræos exſtitiſſe teſtatum faciunt hiſtoriæ: qui tranſmigrantes in Ægyptum ſemina doctrinarum diſperſerunt illic. Vnde poſtea Græci: à Græcis Romani: ab his reliquæ nationes Europæ humaniores ſapientiæ conſequendæ rationes ſunt edocti.

Propinqua Philoſophiæ vel præceptorū inueniendorum cauſæ ſunt, inſtrumenta: quibus adiuti ſapientes ædificia artium exſtruere potuerunt.

Hæ plures ſunt, & cognitu ſummè neceſſariæ: quæ κατ᾽ ἐξοχὴν appellantur in ſpecie principia: κριτήρια videlicet, & normæ certitudinis: ad quas tanquam ad Polycratis amuſſim, vel Lydium lapidem veritas præceptorū inveniendorum dirigitur, & examinatur. Quæ non ſingula ſingulis Philoſophiæ partibus, *Principia.*

ſed

ſed omnia omnibus ſunt communia. De quibus præter alios Dn. Phil. agit lib. IV. Dial. item prolixiùs lib. de anima, tit. *Quæ ſunt normæ certitudinis.* Suntque duplicia: interna & externa.

SECT. VI. *Quid principium internum, & quotuplex?*

Ratio. *Internum* eſt ὁ νοῦς ſiue *Mens & Ratio ipſa, cœlitus hominum mentibus inſerta.* Quæ ſi perfecta manſiſſet in integritatis ſtatu: non indigeremus artis inſtitutione. Poſteaquam verò peccati interuentu fuit horribiliter corrupta: manſerunt aliquæ priſtini ignis obſcuræ ſcintillulæ: quæ ſtudij, & laboris fomento ſuſcitatæ, cernunt aliquatenus adhuc, & diſcernunt veri à falſo ſpecies. Hæc igitur eſt inſtrumentũ illud: per quod homo Philoſophiæ præcepta perſcrutari: & ad quod perſcrutata ac reperta, bona ne ſint, an mala, examinare, ac dirigere poteſt. Adeò, vt, quantum mens humana ratiocinando poteſt adſequi: tantum quoq; Philoſophiæ ſit tribuendum: quippe cuius illa mater eſt: & huic ſoli in abſtracto: non autẽ in concreto, Ariſtoteli, Platoni, Philippo, Ramo, &c. vel alijs adſcribenda: prout acutè Taurellus in Philoſophię triumpho diſputat.

Intellectus. Hæc autem duabus à Deo ſummis eſt exſculpta potentijs. Quarum altera γνῶσις dicitur, *intelligentia: quæ facultas eſt omnia, quæ ſciri poſſunt,*

possunt, rectè cognoscendi. Cuius finis est: *inuestigatio veri.* Altera ὄρεξις *Voluntas: omnia, quæ cognita sunt, appetendi liberè.* Cuius finis est: *appetitus boni:* vel, vt rectiùs in specie, *Honesti.* *Voluntas.*

Vtriusque magna vis est in omni Philosophiæ studio perdiscendæ: prioris tamen longè maxima: quæ dominium in posteriorem tanquam famulam exercet, in quocunq; Philosophiæ genere verseris: ex cuius mandato, vel appetit hæc res oblatas: vel repudiat. Quamuis interim non negem: huius in Ethica Philosophiæ parte, rationem præcipuam: in reliquis, non ita magnam haberi. Ea propter hac omissa, pleniùs illa fuerit discutienda: quæ vires suas exserit in duabus actionibus: *Inuentione scilicet, & iudicio.*

SECT. VII. Quid Inuentio, & quotuplex?

Inuentio εὕρεσις, est *facultas intellectus prior, celeriter inueniendi, quod ad rei propositæ naturam perscrutandam sit accommodatum.* Cuius instrumenta numerantur quattuor. *Inuentio.*

I. Αἴσθησις, *Sensus externus, prima intellectus in inueniendo energia.* Qui tanquam internuncius, subiectus est animo hominis, omnia indiuidua & singularia, quæ sibi foris occurrunt, per Visum, Auditum, Gustum, Tactum & Olfactum percipiendi, adq; mentem illorum notionem transmittendi: Quo nouimus, aquam *Sensus.*

esse

esse frigidam, per sensum tactus: iridis discolorem qualitatem per visum: exhalationum siccarum inter se pugnam in aëre, quæ tonitru dicitur, per auditum, &c. Et hæc prima sic est cognitionis in homine origo, & scientiæ principium. Vnde Aristoteles: *nihil est in intellectu: quod non priùs fuerit in sensu.* Id quod de rerum naturalium notitia certò certiùs: non tantùm in φαινομένοις, hoc est, rebus apparentibus, quæ sub aliquod sensuũ Iudicium manifestò cadunt, ab eoq; reipsa sentiri queunt: vt Eclipsis Lunæ, quam acies oculorum pertingere potest: sed etiam κεκρυμμένοις, hoc est, occultis, & à sensuum captu paullò longiùs abstrusis. Quæ licèt ita reconditæ res sæpè sint: vt difficulter à sensibus attingi queant: in rebus tamen externis ac ex certis indicijs, earum saltem imagines, & effecta apparent. Quorum indicio, per coniecturas probabiles, ad ipsam etiam in rei occultæ naturam penetrandum patefit nobis aditus. Sic enim colligitur in Physicis, Eclipseos Lunæ causam esse terræ vmbram opacam: quando solis radij Lunæ sunt è diametro terra intermedia oppositi. Quod licèt sensibus huc vsq; nullus adprehenderit: rationibus tamen Opticis, & Astronomicis, ex vmbræ, & similium rerum in sensus incurrentium collatione, pro certo sic esse constituitur. Similiter etiam hoc ab Astronomicis adfirmatur: terram cum aqua globum

Distinctio rerũ sensilium.

globum

globum constituere: solem, & stellas etiam minutissimas terra maiores esse: Item, antipodes homines esse, & eiusmodi plurima: quæ non reipsa: sed ex aliundè desumtis coniecturis sensus ita percepit, mentiq; persuasit. Certum itaq;, si non directè: saltem obliq;, Physicorum omnia, priusquam veniunt in intellectum solidum, sensibus esse percipienda.

II. Ἱστορία, *Obseruatio, secunda intellectus in inueniendo efficacia, quæ seorsim colligit, & obseruat illa: quæ sensibus crebrò sunt eodē percepta modo.* Hic secundus est scientię gradus, in quo rei sensu semel perceptę cognitio paullatim stabilitur: & pluries sic percepta, confirmatur atq; memoriâ retinetur. Vt si quis semel se vino largiùs hausto sentiens inebriari, & huius effectus certior fieri volens, bis, teruè periculum faciat, & obseruet: ecquid hoc semper in vino quolibet locum teneat. Ex quo, si similiter idem contingat, postea pleniorem notionem colligit, quòd multa vina inebrient. *Obseruatio.*

III. Ἐπαγωγὴ *Inductio, tertium intellectus opus in inuentione rei: quæ ex perceptione sensuū, & obseruationis in pluribus exemplis inchoata notione, longiùs obseruando progressa, cùm nequit exemplum dissimile reperire: communionem quandam ex singularum sufficientium collectione in animum inducit, & sic pleniorem cognitionem adquirit.* Vt, si quis in plurimis, quorum dissimile non inuenit, expertus, inebriare *Inductio.*

briare vinum, generaliter, quòd omne vinum inebriet, in animum sibi inducat.

Experientia. IV. Ἐμπειρία, Experientia, *quartum & postremum in inuentione intellectus opus: quod ex perceptione sensuum, per obseruationem, variorũ exemplorum inductione confirmatam, profectam, collectamq́; notionem certissimo suo testimonio, quod indies ita fieri, nec aliter esse sentiat, absoluit, & perpetuò veram pronunciat.* Hoc igitur vltimum præcedentia tria sibi tenet inclusa, & generaliter pro toto inuentionis principio ponitur. Cuius sedes in homine, quoad perceptionem, in ipsis sensuũ quorumlibet organis: quoad retentionem verò, in memoria: cui sedem vulgò Physici dant in Cerebello, vel postrema cerebri parte. *Vniuersalis experientia.* Id quod Dn. Phil. *Vniuersalem* vocat *experientiam: cùm de ijs, quæ sensu percipiuntur, sani omnes eodem modo iudicant.* Ex quo pulchrum illud Aristotelis: ἡ μὲν ἐμπειρία τέχνην ἐποίησε: ἡ δὲ ἀπειρία τύχην.

SECT. IIX. Quid iudicium, & quotuplex?

Iudicium. Iudicium κρίσις, *est facultas intellectus posterior, acutè & sollerter de rebus inuentis, veréne, vel falsò sint ad rei propositæ naturam arguendam accommodatæ, iudicandi.* Quod cùm ex diuersâ mentis dijudicantis: tùm ex rerum iudicandarum conditione, duplex iterum statuitur: Noësis, & Dianœa.

Noësis

Noësis est principij in iudicio prior species, continens diuinum illud mentis lumen, quo, per inuentionem collectas notiones simplices, simplici rationis motu, disponimus: easq́;, si per se manifestæ sint, intelligimus, veras à falsis, contingentes à necessarijs dijudicando, omissâ longiori disquisitione. Hæc τὰς τῶν αἰσθητῶν οὐσίας, hoc est, sensibilium res ipsas ponderat: quod vulgò τὸ ὅτι vocant: *Quòd* nimirùm res sit. Quam Aristoteles apprehensionem simplicium, Dn. Phil. notitiam principiorum, hoc est, *notionum nobiscum nascentium: quæ semina singularum sunt artium, nobis innata diuinitùs*, appellat. Dicuntur etiam προλήψεις, prænotiones, & κοιναὶ ἔννοιαι, hoc est, communes sententiæ. Quibus sedem Physici tribuunt in anteriore cerebri parte: vbi receptaculum statuitur notionum, sensuum ministerio menti oblatarum. Vt: Deus est æternus: punit peccata: vitia odit: virtutibus delectatur. Bis quattuor sunt octo. Totum est maius qualibet sui parte. Vim vi repellere licet. Parentes honorandi, &c. *Noësis.* *Notitia principiorum.*

Dianœa est posterior in Iudicio principij species, continens eam mentis facultatem: quæ consequentia, & inconsequentia, ordinẽ, & confusionem rerum inuentarum, & simplici Noëticæ dispositionis via dubitanter collectarum, vario mentis, per omnes simplicium notionum rei propositæ qualitates, *Dianœa.*

cursu, recursu, discursuq́;. inter reflexos actus inuestigat acriter, dijudicat subtiliter, & digerit prudenter. Ex quo rectè definitur à Platone Dianœa; quòd sit αὐτῆς πρὸς ἑαυτὴν ψυχῆς διάλογος ἄνευ φωνῆς γιγνόμενος. Quæ facultas principiorum princeps est omnium, & supremus iudex: ad cuius tribunal arcessere, necesse habemus omnia: de quorum ipsissimâ veritate, vel dubitamus: vel esse certissimi volumus. Siquidem τὰς τῶν ὄντων ἐννοίας, hoc est, rerum rationes atq; causas inquirit. Quod vulgò τὸ διότι, *Quare*, nimirum res ita se habeat, appellant. Hæc Dn. Philippo tertia certitudinis *Intellectus ordinis.* norma vocatur Intellectus ordinis, in syllogismo membris rectè coagmentatis: cui in media cerebri parte, qua Phantasiam locant, locus vulgò solet tribui. Cùm enim non omnes notiones æquè per se sint manifestæ, si vocentur in dubitationem: huc est profugiendum, & ad hanc amussim veritas ipsius, per rationis legitimum discursum, digerenda. Exempli causa, si dubitetur: an bellum sit iure naturæ licitum: per discursum Syllogisticum sic adfirmantem sensum comprobamus:

Quicquid vim vi iusta repellit, id est in iure naturæ licitum.

Bellum vim vi iusta repellit.

Ergò bellum est iure naturæ licitum. Hîc vi ordinis per discursum trium notionum necessa-

cessaria sequitur veritatis consequentia: cui nemo sanus contradicere potest.

SECT. IX. De principio externo.

Externum Philosophiæ huius principium est εἰχασία, *Vsus*: qui est omnium rectè Philosophantiū, perpetuo consensu stabilita, consuetudo. Hoc eiusmodi principium: quod materiam suppeditat, è qua formanda veniunt artium præcepta: quod archetypū monstrat, ad quem, tanquam ad exemplar præfixum, confingenda suntartium theoremata: quæ debent esse imagines rerum in vsu versatarum: quod deniq; subiectum est in se recipiens, cui tanquam areæ systema Philosophię superstruere debemus. Hinc dicitur: vsum esse artis & Magistrum, & Discipulum. Illo modo: cùm ad eius normam & exemplum artes conformantur, atq; demonstrantur in Genesi. Isto verò: cùm ad artium formatarum præscriptum, quæ in vsu apud Classicos auctores occurrunt, examinamus in Analysi. Adeò verum est: æquam proportionem, & sinceram harmoniam, arti cum vsu interuenire debere: vt ars ijsdem, quibus vsus; & vsus ijsdem, quibus ars, terminis contineatur. *Vsus.*

SECT. X. De tertio Artium principio.

Tertiam inter Philosophiæ principia sedem *Materia* tenet, è particula definitionis *Materia*

Præceptorum colligenda: Præcepta ſcilicet, quę ſunt notiones quædam de rebus in vita vtilibus, ingenioſis ab hominibus inuentæ, & ex rationis, atq; illorum, qui cum ratione locuti ſunt, orationibus hinc indè, ſine certâ methodo, collectæ. E quibus tanquam lignis, & lapidibus artis alicuius ædificium conſtruitur. Quæ cùm ab initio rude quoddam, & nullo ordine digeſtũ chaos conſtituant: forma cauſarum vltima, vt accedat, eſt neceſſarium.

SECT. XI. De quarto & vltimo Artium principio.

Forma. Quartum itaq; principium in *formâ* poſitum, id eſt: quod præcepta, variè & tumultuario labore compilata, cùm ſingula priùs pręparat: tùm ex præparatis ipſum deniq; ſyſtema coædificando perficit. Duplex igitur hoc: prius in præceptis ſingulis: poſterius in vniuerſis.

Singulorum præceptorum conformatio, eruditio, & expolitio, continetur voce *Catholicorum*: vt præcepta artiũ omnia ſint Catholica. Quod ſtat in tribus hiſce requiſitis: vt o-

Requiſita præceptorum. mne artis theorema ſit: *verum, iuſtum & ſapiens.* Quibus ſi ſit, quantum per ingenij imbecillitatem, & rerum intricatam obſcuritatem fieri poteſt, accuratè præditum: perfectũ eſt illud

Veritas. per ſe præceptũ. Requiſitum primum requirit:

rit: vt præcepta in artibus omnia, etiam minima, ſint exactè neceſſaria, & ἁπλῶς, hoc eſt, ſimpliciter, ac vndequaq; vera, ſine vllo reſpectu, aut exceptione: niſi de hac è veſtigio, ſubiecta analogiæ anomalia, hoc eſt, regulæ exceptione, proteſtatum fuerit. Nullam enim in artibus docendis falſi comminiſcendi, nulla fortuita, vel contingentia, parte, reſpectu, tempore, locoúe alio falſa, alio vera, ſimul infarciendi, licentiam concedit.

II. Vt eadem ſint inter ſe homogenea, hoc eſt, propria, & cognata, tanquam eiuſdem corporis, membra: quæ arti, quam explicant, ſint eſſentialia, hoc eſt, vt ex ipſius profluant, vel ſubſtantia, vel ſaltem firmiſſimo adfectionis ei nexu conglutinata. Quod tùm fit: ſi præcepta, quæ traduntur, ad artis ſuæ, quam explanant, cum ſubiectum, & materiam declarandam: tum etiam ſummum ipſius bonum demonſtrandum præcisè ſint directa: vt ſunt definitiones, & diuiſiones, earumque proprietates & qualitates inſitæ. Suum enim cuique tantùm tribuens, abſcindit & reijcit omnia parerga, & heterogenea: hoc eſt, ſuperuacua & peregrina, quæ nec artis materiem attingunt: nec ad eandem pertingunt metam: nec ex alijs artibus, quæ ſua non ſunt, attrahit: ſed intra ſuas, à natura ſibi præſtitutas, ὀρoθεσίας ſe continere diſcit: vt ita con- *Iuſticia.*

fusio præceptorum diuersarum artium deuitetur: & quæ Grammatica sunt, in Grammaticis: non in Rhetoricis, nec Logicis, &c. proponantur.

Sapientia. III. Vt etiam sint Catholica, hoc est, vniuersaliter & reciprocè vera: ita, vt consequens præcepti antecedente, & antecedens consequente, nec sit latius, nec angustius: sed æquale per omnia. Quod aliter fieri non potest, quàm si generalia generatim, & semel: & specialia suo quæq; loco specialiter summa cum cura proponantur: proprias adfectiones, & qualitates suis interserendo subiectis. Sic enim quò quæq; sapientiora sunt præcepta; eò superiore & digniore loco ponuntur: vt inferioribus ex splendore suo maiore lucem præferant: quò commodiùs intelligi queant. Tautologiam igitur, hoc est, eiusmodi rei sæpiùs iteratam repetitioné reijcit: & generalis adfectionis cum speciali colluuionem vetat: vt & memoriæ succurratur: & prolixitate præceptorum ingenia non nimis onerentur.

Methodi lex. *Vniuersorum* porrò præceptorum formam in nomine *ordine* lex vnica Methodi perficit: *Natura prius, & per se clarius præcedat: obscurius sequatur.* Quæ totam, præceptorum vnius artis omnium, congeriem respectans poscit: vt præcepta, quò clariora sunt & priora natura: sic etiam alijs obscurioribus & posteriorib⁹ præponantur. Cuiusmodi sunt generalia, quæ & clario-

clariora sunt: quia longiùs à singularibus & indiuiduis (in quibus difficultas omnis est, propter varietatem & inconstantiā materiæ, quæ in generalibus semper vna est & eadem) recedunt: & natura priora, quia causas continent, è quib' singularia sunt constituta: quod & ipsum facit ad claritatem: cùm scire sit rem per causas cognoscere. Quemadmodum igitur Architectus, antequam perfectam domui formam introducat: priùs singulas eiusdem partes, & particulas seorsim secat: scindit: edolat: expolit: & ad iuncturas suarū partium adaptat: posteaq; præparatis omnibus, quò quæq; grandiores sunt partes, & stabiliores: eò propiùs fundamini superstruit, leuioribus in altum erectis: sic etiam artifex noster omnia priùs artis suæ præcepta seorsim rectè conformat: conformata postea, sicut antè dictum, componit: & iuncturis vbiq; certis adaptat: donec totum systema perficiat. Prohibetur itaq; omnis hîc hysterologia, hic ordo præposterus, vbi specialia generalibus prę-ponuntur ineptè, vel aliter suo non ponuntur loco.

SECT. XII. De subiecto Philosophiæ.

Atq; hæc sunt illa, super quæ Philosophiā suam inædificauit P. Ramus fundamenta: &, ex quibus eandē decerpsit, principia: quibus

quicquid ſuperſtructũ non eſt, nec ex ijſdem omnibus decerptum: ex agro Philoſophico remouet, & radicitus exſtirpat. Vnicum reſtat in definitione de ſubiecto occupante: in vocabulo *rebus*. *Res* itaq; ſunt obiectum, vel materia circa quam, vt vulgò vocant, Philoſophiæ ipſius: quæ vel in ſpecie *res* ſunt: vel rerum ſymbola, *Dictiones*. *Res* eſt quodlibet γνωστὸν, vel res ſcibilis qualiſcunq;: quæ certo rationum diſcurſu cognoſci vel inueſtigari poteſt: ſiue reuera ſic exſiſtat, ſiue exſiſtere fingatur: quarum illam entem: hanc non entem vulgò vocitant. *Dictio* verò eſt nota, qua quæque res ſignificatur. Et hæc duplex: τῆς πρώτης θέσεως ἢ δευτέρης, hoc eſt, primæ vel ſecundæ intentionis, vt Scholaſtici loquuntur. Quarum illæ cuiuſcunq; rei per ſe, ſuaq; propria voce, ſignificationem, ſecundum rei ſignificatæ conuenientiam, denotant, τὰ πρῶτα νοήματα, vt: equus, arbor, homo, gladius, &c. Iſtæ verò, quæ rei adfectionem, ſeu reſpectum ad alia: vel dictionis artificioſam ad ſignificationem à rebus abſtractam comprehendunt, vt ſunt: genus, caſus, ſpecies, tempus, &c.

Subiectũ.

ARTICVLVS POSTERIOR, DE PHILOSOPHIÆ DIVISIONE.

SECT. I. De Propædia generali.

Philoſophiam hactenus ita deſcriptam P. Ramus,

Ramus, & ipsius discipuli, Platonem in VII. de Rep. secuti, diuidunt: in Propædiam & Pædiam.

Propædia est prior Philosophiæ pars artes dignoscens illas, quæ Sapientiæ comparandæ tanquam instrumenta seruiunt: & animum studiosi ad eam capessendam præparant. Quæ generalis est: vel specialis. *Propædia.*

Generalis est propædia, quæ omnibus omninò alijs artibus instrumentum præbet: & ante ipsius Sapientiæ perceptionem *necessariò* prænoscitur: non de rebus ipsis solùm, sed rerum quoq; symbolis dictionibus disponens. Vnde hominis vel Orationem informat: vel Rationem.

Orationem informantes illæ sunt, quæ curã verborum gerunt. In quibus considerant: *puritatem & ornatum.* Illam explicat *Grammatica:* Istam Rhetorica.

Grammatica est ars purè loquendi rationem monstrans. Cuius partes essentiales, sunt: *Etymologia & Syntaxis.* Quarum illa verborum positionem sinceram: ista congruam tractat. Accidentales verò: *Orthographia*, si verba sint ritè conscribenda: *Prosodia*, si eadem sint ore pronuncianda. *Grammatica.*

Rhetorica est ars ornatè dicendi modum præcipiens. Ornatus iste consistit in *Elocutione*: per *Tropos, & Figuras.* Item *Actione:* per *Verborum & Gestuum* concinnum modum. *Rhetorica.*

Ratio-

Logica. *Rationem* quæ gubernat est *Logica* vel *Dialectica*: ars nempe bene disserendi viam proponens. Quod fit per acutam rerum *Inuentionem*, ex argumentis tàm artificialibus, quàm inartificialibus: atq; prudentem earum *Dispositionem*: per *Axioma* & *Dianœam*. Vbi *Syllogismus* ac *Methodus*.

SECT. II. De Propædia speciali.

Specialis est Propædia, quæ, verbis omissis, rebus duntaxat cognoscendis, in Pædia maximè naturali, præbet instrumentũ, ante ipsam pædiam *vtiliter* prænoscenda. Quam generali nomine κατ' ἐξοχὴν *Mathesin*, vel *Mathematicam* vocant. *Mathematica.* Hæc definitur Propædia, quantitatis à rebus abstractæ designationem declarans. Quantitas est *discreta*: vel *continua*. Quarum illam Arithmetica tractat: hanc Geometria.

Arithmetica. *Arithmetica* est ars bene numerandi: quod vel *simpliciter* fit: vel *comparatè*. Cuius cùm in rerum naturalium dimensionibus: tùm in Mercatura, & ciuili vita frequentissimus est vsus.

Geometria. *Geometria* est ars bene metiendi spacia in longitudine, latitudine, & profunditate. Cuius præ cæteris est nobilitata species: *Architectonica*, & *Pictura*. Hæc in artes Mechanicas, hoc est, quæ manuum maximè tractantur officio, maximam profundit operam.

SECT. III. De Pædiæ generalis parte prima, quæ Ethice.

Pædia est posterior Philosophiæ pars artes eiusmodi tractans, quæ Sapientiā ipsam concernunt, & ipsarum rerum naturas ex singularibus rimantur. Cuius solius gratia prior est reperta, quæ sine huius est subsequente cognitione superuacua. Quam liceat itidem distribuere; in generalem: & specialem. **Pædia.**

Generalis est, quæ doctrinarum Sapientiæ certa proponit theoremata, rebus sibi subiectis in genere competentia. Sapientia autem humana, pro duabus animę nostræ potentijs: Voluntate scilicet & Intellectu, quas informare debet, duplex statuitur: Ethice scilicet, & Physice.

Ethice est Pædiæ pars vna, quæ virtutes ad honestè viuendum dignoscit. Hæc aut *communis* est, ad omnes in quocunq; vitæ genere spectans homines. Quæ virtutes explicat directas vel *in Deum:* vbi *Theologiæ* pars illa, quæ Dei voluntatem declarat: imperfecta quidem illa, sed ex sacris perficienda literis. Vel *in homines,* quæ specialiter generis nomen retinet, *Ethica* dicta. Aut *Propria*, quæ pertinet ad certum vitæ genus ritè degendum, vt sunt *Oeconomica*: administratio familiæ, & cura rei familiaris. *Politica:* gubernatio Reipub. ad tuendam humanæ vitæ societatem. Quod vel legibus: vnde Magnifica *Iurisprudentia*, quæ definitur **Ethica.** **Theologia de Dei voluntate.**

finitur Vlpiano: iusti & iniusti notitia. Vel armis: vnde animosa *Militia*: quæ est belli contra violentos malorum impetus gerendi scientia.

SECT. IV. De Pædiæ generalis parte secunda, Physice dicta.

Physica. *Physice* est Pædiæ pars altera, quæ res Naturales benè cognoscit, & peruestigat earũ conditiones. Eaque propter rerum plurimarum varietatem, & abstrusam subtilitatem, præ reliquis omnibus longè difficilima. Res autem *Naturalis* est essentia per se subsistens. Quæ vel increata est, vel creata. *Increata* est natura ab æterno existens, à nullo genita: vt DEVS, Spiritus æternus, infinitus, optimus. Vbi *Theologiæ* pars altera de Dei essentia; omnis ex fontibus Israëlis haurienda. *Creata*, à Deo certo tempore progenita, totalis est: vel particularis. Illa est *Mundus*, vel vniuersum. Cuius generalis descriptio, vulgò *Cosmographia*, vel *Geographia* dicitur. Ista verò, sunt omnes mundi partes, in ambitu huius vniuersi comprehensæ. Quæ vel incorruptibilis est: vel corruptibilis. Illæ sunt *Angeli*: & *anima* hominis. De quorum ortu, & conditione, doctrina è sacris certissima petenda. Huc, quod ad subiectam materiam, Aristotelis Metaphysica. Hoc verò *corpus*. Quod simplex, vel concretum. *Simplex*: constans, vel inconstans. Ad *constans* refertur:

Theologia de Dei essentia.

Mundus.

Cosmographia.

Metaphysica.

fertur: *Cœlum & Stellæ.* De quibus agit cum *Astronomia*: quæ vulgò dicitur doctrina *Sphæ-* *Astronomia.*
rica, naturam cœli, cœlestiumque corporum *Spharica.*
inuestigans: tum *Astrologia*, ex consensu dissen- *Astrologia*
suq; cœlestium corporum cum inferioribus, de rebus futuris diuinans. Ad *inconstans* referuntur: *Elementa*, & *essentia*, vt vocant, *Quin-* *Elementa.*
cta. De quorum illis *Stœcheologia*, elementorum qualitates, & inter se mixtiones indagans: de ista Medicorum *Chimia*, vel ars Di- *Chimia.*
stillatoria, purissimum & subtilissimum, ex corporibus ignis vi succum eliciens. *Concretum* est, *Brutum*, hoc est, expers vitæ: vel *viuens.* Illi subijciuntur *Meteora*, de quibus *Me-* *Meteorologia.*
teorologia. Cuius vsus, quoad ventos, insignis est in *Nautica.* Isti verò *corpus animatum.* Vbi generalis de *anima* doctrina vocatur *Psychologia.* Vnde liber de Anima. Hoc corpus iterum duplex est: Imperfectum, vel perfectum. Illi subiecta sunt: *Metalla.* Vbi ars *Me-* *Metallica.*
tallica, *Alchimistica*, Gemmarum notitia, &c. Istud vel est sensibus expers, vel illis præditum.

Ad *insensilia* referuntur *Herbæ & arbores.* Vn- *Herbæ, arbores.*
de *botanologia*, herbarum descriptio: cuius studiosos vulgò Simplicistas appellant: cui inseruit *Pharmocopœia.* Huc *Agricultura, olitoria, dendrographia*, h.e. arborũ descriptio. *Sensilia* verò spectãtur primũ in ipsis *Sensib⁹*: vbi nobilis est circa visum, *Optica*: circa auditum, *Musica.* Deinde *Optica.* *Musica.*
in

in *corpore toto.* Vbi *animal* est *Irrationale* vel *Rationale.* Illi subijciuntur *Insecta*, vbi *Apium* doctrina celebris: *Pisces*: *Aues*: *Quadrupedes*: *feræ*: *mansueta*, &c. De quibus generaliter *Zoographia*, vel *animalium historia.* Vnde præ cæteris celebria sunt: *Culinaria*, & *Venationis studia.* Huic verò solus HOMO, propter quem creata reliqua sunt omnia. In cuius conditione percipienda laborat, *Anatomia*: conseruandâ verò *Medicina*, quæ rerum creatarum cognitam theoriam hîc ad praxin transmouet. Cuius duæ sunt species: *Prophylactica*, quæ sanitatem tuetur: & *Therapeutica*, quæ recuperat eandē collapsam. Vbi specialis est *Chirurgia.*

Insecta. *Animantia.* *Anatomia* *Medicina.* *Chirurgia*

SECT. V. De Pædia speciali.

Pædia *specialis* est, quæ theorematum à generali pædia præscriptorum veritatem specialibus exemplis, in singularibus & indiuiduis illustrat, atque confirmat. Cuiusmodi sunt: *Historia*, & *Poësis.*

Historia. *Historia* est rerum factarum commemoratio, vera Philosophicis præceptis subijciens exempla: quatenus illa visa sunt: aut certis alioquin indicijs comperta. Quò refertur *Chronologia*, quæ temporis seriem continuam rebus gestis adiungit.

Poësis. *Poësis* est rerum fictarum narratio: siue ligato, siue soluto sermone prolata: continens exem-

empla ad similitudinem historiarum; delectationis causa, confictа.

Et hîc cùm ad indiuidua deuentum sit, Philosophiæ partes vlterius diuiduæ non erunt.

IN PARTE PRIORE, Capitis primi, *MEMBRVM POSTERIVS. Cur Philosophia Ramea sit omnium præstantissima.*

Hactenus igitur descripta cum auctore suo Ramea Philosophia: de qua tantas excitauere Peripateticorum Primipili, cum suis cohortibus, Tragœdias: tantos edidere clamores: atq; si Hannibal, vt dicitur, ante portam cum exercitu staret: vel de Pyrrhi pace ageretur: & de tota Philosophiæ salute penitus actum foret: si doctrina hæc auribus iuuentutis esset instillanda. Hic est Centaurus scilicet! hæc illa mendaciorum lerna! hoc Sophię prodigium, & abominabile monstrum! Hæc est illius viri doctrina tantopere perniciosa: quæ cœlum terræ miscet: quæ humana cum diuinis errorum vanitatumq; tenebris inuoluit: quæ omnia denique veræ scientiæ studia radicitus ex hominum societate tollit. Huc igitur oculos aduerte: ad hæc aures arrige, bone Lector: & tecum pio cum iudicio, bonaq; fide perpende: quale sit hoc, quod imputatur Ramo, crimen: quęnam, quorum reus dudum

agitur, sit illa falsitatis, vanitatis, confusionis, erroris, inscitiæ, ac mendaciorum in hac doctrina congeries, & turpissima farrago. Nimirum, rectè si ponderabis omnia, dixeris: horum nihil omninò te subolfacere neq; potuisse, neq; adhuc potesse. Immò clamabis alta voce: te solidum sapientiæ omnis humanæ reperisse fulcrum: & in adyta ipsius abditissima se mentem tuam penetrasse: nihil dari posse Scholasticæ rei commodius: nihil præclarius: nihil magnificentius. Quod vt ad oculum tibi declarem pleniùs: posthac exiam commemorata Philosophiæ Rameæ descriptione rationes eliciam robustissimas, quibus adeò magnificum de Rami doctrina iudiciũ tuum stabilire queas. Quarum summam concludere libet hisce duobus syllogismis.

PRIMVS.

Philosophiæ doctrina: quæ stabilibus innititur principijs: quæ est vtilis: Catholica: breuis: & perspicuè facilis: illa est rei litterariæ omnium commodissima.

At talis est Philosophiæ Rameæ doctrina.

Ergò illa rei litterariæ est omnium commodissima.

Confirmatio Propositionis.

Propositionem, qui sanus est, nusquam abnegauerit. Nam si Philosophiæ finis est: humanæ Orationis atq; Rationis optimus in rerum omnium cognitionibus vsus: certè doctrina-

ctrinarum quæ certior est, vtilior, magis Catholica, breuior, & facilior: illa reliquis omnibus præferenda: quod ad finem nanciscendũ sit omnium aptissima.

Quippe necessum est, cùm *principia* sint fundamentum certæ cognitionis: illa debere stabilissima semper esse: quod, quicquid illis superstruximus, huic tantum fidei tribuimus: vt eius nulla nos ampliùs dubitatio remoretur. Vnde vulgatum illud: *quod contra negantem principia*, tanquam vesanæ mentis hominem, *minimè sit disputandum.* Et iubentur alicubi ab Aristotele in ignem conijci, qui ignem esse calidum nolint concedere: vt nimirum sentiant, & suo malo experiantur veritatem, cui alia ratione locum dare recusant. Quò firmiora igitur sunt principia: eò firmior huic inædificata doctrina. *Principia sint certa.*

Vtilitas, vt ex artis antiquissima definitione colligitur, necessarium similiter est Philosophiæ doctrinarum requisitum: quæ vult, vt illa tantùm doctrina, cuius ad vitæ humanæ conseruandam societatem non ignobilis vsus est, sit Philosophiæ propria: adeoque nulla, nisi huic fini seruiat, ab homine discenda: &, quò quæque magis vtilis, eò priore loco ponenda. Cùm enim aliâs immensa sint doctrinarum latifundia, vt vix vni atq; alteri parti perdiscendæ sufficiat ætas vnius hominis: homo autem omnia sua studia ad Dei gloriam, *Artes sint vtiles.*

Reip. proximiq; salutem referre debeat: profectò non potest alijs insuper studijs, quorum nullus, vel perexiguus ad vitam sit vsus, incumbere. Siquidem putatur omne, quod inutilibus impenditur, tempus, ocio & vanitati tributum fuisse. Theoreticæ igitur omnes, & ociosæ speculationes, quæ consistunt in mera cognitione, atq; subtilitatibus (vtpote quæ non Philosophiæ sed Matæotechniæ rectiùs sunt nuncupata studia) maximi quidem laboris, at nullius vtilitatis: homini sano, pioque fuerint fugiendæ protinus. Quippè, sicut acutissimè Stigelius noster:

Speculatiuæ artes non ferendæ.

Non qui multa tenet: sed qui scit idonea vitæ:
Hic, dici sapiens quò mereatur, habet.

Vnde Aristippus percunctanti cuidam, quæ potissimùm iuuenibus essent discenda, respondit: *quæ viris vsui futura essent.* Et sicut stultè Reges Ægyptiorum factitasse Sapientibus videntur: quòd operas populi, ac omnes regni thesauros in substruendis Pyramidibus consumebant: quæ nihil habebāt, præter stultam ac odiosam ostentationem: sic etiam iudicat Erasmus omnium stultissimos homines, qui dies, & annos ætatis omnes, studijs quidē laboriosissimis, at infrugiferis cōsumunt. Nec enim esse probanda primo conspectu omnia, quæ non sine summo etiam conatu, atq; vigilijs, comparari possunt. Alexander ille Macedonum rex exemplo comprobauit honestissimo.

mo. Cùm enim militem in exercitu haberet, qui ex distante ſpacio grana ciceris miſſa in acum ſtatim, ac ſine fruſtratione, inſertaret: ſimulq́; rem hanc pleriq;, vt arduam, & mirificam, ſpectabundi efferrent: tum rex, vt egregia vir prudentia, eiuſdem leguminis modio militem illum donauit: digniſſimũ videlicet illo labore præmium, & dignũ patella operculum.

Catholicæ quòd eſſe doctrinæ debeant optimæ, controuerſiam nõ habet. Vult enim hæc particula, vt doctrinarũ theoremata ſint: vera, homogenea, & ſapienter ac ordine diſpoſita. De *veritate* quis dubitauerit? quæ ſola ſcientię mater eſt, & Philoſophiæ domina. *Homogenea* autem vt ſit doctrina quælibet, ad docendum diſcendumq́; pariter, vix aliud eſt neceſſariũ magis. Nam qui bene diſtinguit, vt vulgò dicitur, bene docet. Confuſione verò doctrinarum omnium vel plurium in vnum chaos admiſſa: quid quæſo peſtilentius eſt in ingenijs? quæ turbantur illa varietate, & nihil ſolidi ex fruſtulatim commixtis artibus haurire queunt. Quippe quod Horatius ait: *Artes ſint veræ.* *Diſtinctæ.*

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere ſi velit, & varias inducere plumas:
Vndiq; collatis membris, vt turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa supernè:
Credite Piſones iſti tabulæ forè librum
Perſimilem, cuius velut ægri ſomnia, vanæ

Fingentur species, vt nec pes, nec caput vni
Reddatur formæ —— —— *Sapienter* verò ac *ordine* ne sit disposita doctrina, nullus erit ita stolidus, qui prohibessit. Οὐδὲν γὰρ οὕτως οὔτ' εὔχρηστον, οὔτε καλὸν ἀνθρώποις, ὡς ἡ τάξις: quæ tristissima Xenophontis sententia: hoc est, nihil ordine, vel melius, vel vtilius hominibus. Quâ de causâ lucidũ vocat ordinẽ Horatius: quasi lucem præ se ferat. Quo nullum præstantius ad memoriam studiosi iuuandam dabitur remedium: quiq; breuitatis in docendo magister vnicus, & optimus. Et hæc tria Catholicæ artis postulata scitè breuiterq; complexus est D. Phil. definitione Dialectices: in qua docendi rationem optimam, qui effectus artis vnicus & genuinus, concludit rectitudine, vt præcepta sint vera: ordine, vt sint homogenea: perspicuitate, vt eadem sapienter disposita.

Ordine disposita.

Artes sint breues.

Breuitas in doctrinis summopere laudatur: quòd, ὁ βίος βραχὺς: ἡ δὲ τέχνη μακρὰ: ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, hoc est: vita breuis nostra sit: tempus velox: artes autem multò longissimæ: quæ vehemens est Hippocratis exclamatio. Quas vt emetiri tamen pro viribus homo possit: summa doctrinæ virtus est: vt plurima quàm breuissimis absoluantur, presso sermonis genere, præceptis: nec εἰς αἰνίγματα καὶ λήρους, dilatentur. Nam σοφοῦ πρὸς ἀνδρὸς, ὅστις ἐν βραχεῖ πολλοὺς καλῶς οἷός τε συλλέγειν λόγους, hoc est, multas res

breui-

breuibus concludere viri sapientis est, Aristophane teste. Quod aliter fieri nequit, quã si iuxta Catholicæ legis præscriptum quælibet generaliter, & semel inculcentur: ac superuacua minusq; necessaria semoueantur. Quamuis enim prolixior docendi ratio sæpè clarior appareat: attamen *multò vtilius est pauca etiam idonea effugere: quàm multis inutilibus discipulos prægrauare*: quæ verè regia D. Iustiniani Imperatoris de confirm. Digest. § contrarium, in fine, sententia. Rectè igitur Horatius:

Quicquid præcipies, esto breuis: vt citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.

Verùm quia sæpiùs accidit: vt, cùm breuis esse laboro, obscurus fiam, (libet enim Horatij verbis vti rursus) vlteriùs requiritur: vt breuitas *perspicuitatem*, siue facilitatem intelligendi sibi comitem adiungat: vt possimus ἐν ὀλίγοις πολλὰ λέγειν, secundum Pythagoram, hoc est, paucis verbis multa dicere. Quod fit, si præcepta sermone puro sint, & claro descripta: si item claris & illustribus exemplis explicata: ita vt breuitatem præcepti compenset exemplorum varietas longior. *Perspicuitas.*

Adsumtionis confirmatio.

Quibus positis, Propositionis veritas satis superq; stabilita ponitur. Nunc ad adsumtionem deueniens, quòd Philosophia Ramea certis innitatur *principijs*, probatione nõ indi-

get: siquidem suprà duo potissimùm principia sunt ipsius posita, Ratio videlicet & vsus: ex quibus Ramus construxit, & quibus superstruxit omnia: & ad quorum semper ipse cum discipulis suis tribunal prouocauit. Quorum certitudinem, qui sanus est, in dubium non

Ratio quid prouocabit. Ratio enim est verum de rebus diuinis (quatenus capiendis sumus illis) & humanis iudicium, atq; sensus: vt eleganter definit Iustus Lips. Quod verum tunc est: cùm ad normas certitudinis, à Deo Rationi insculptas, id est aptissimè directum. Hoc enim ir-

Vsus quid. refragabile & infallibile iudicium. Vsus autem nihil aliud est, quàm Rationis effigies ab omnium præstantissimis depicta: & ad lapidē Lydium Rationis, qui modò dictus, examinanda. His autem Rameæ Philosophiæ doctrinas insistere principijs (næuos alicubi leuiores, & errata humanitus commissa, semper excepta volo) tamdiu credimus: donec aduersarij surgant, & demonstrent ex omnibus aliquid: quod vel cum sana Ratione: vel cum Classicorum pugnet auctorum exemplis.

Quòd *vtiles* sint artes, & præcepta Ramea: fatentur ipsimet, & indignantur ea propter aduersarij: quòd in omnibus vtilitatē Ramus spectandam censuerit. Quod item *Catholica* concedunt libentissimè: cū odio capitali Rameos idcircò persequantur: quòd præcepta non nisi vera, homogenea, & sapienter ac ordine

dine disposita ferre velint in artiū conformationibus. Hinc enim omnes turbæ; hinc lacrymæ: hinc pugnę: quòd ad veritatis, iusticię, & sapientiæ regulam Ramei Philosophica reformârunt dogmata.

Deniq; quòd *faciles* sint, & cum *perspicuitate breues*: fortassis operosè probari necessariū nō esset. Vtrumq; enim, siue per inuidiā, siue per contemtum, Rameis Aduersarij probro vertunt, & in inuectiuis creberrimè suis obijciūt: *quòd Ramei iuuenes loquantur atq; scribant illa, quæ vix ac ne vix quidem possint illi, qui in Philosophia Peripatetica consenuerunt: quòd definitiones, & diuisiones ipsorum sint Grammaticæ, Rhetoricæ & populares: quæ vel pueris notæ sint, & omnes intra vnius anni spacium perdisci & intelligi queant: quorum præcepta vt breuia sunt et perspicua: sic etiam crassitiē et stuporem cuiuslibet admittant: cùm crassa & tenebricosa Ramistarum ingenia, subtilitatis Philosophicæ non sint capacia*, &c. quæ sunt ipsissima Peripatetici calumniatoris verba. Cui respondere libet ex antiquissimo Græcorum adagio; ἀμαθέστερον καὶ σαφέστερον: hoc est, vt planius ac explicatius omnia doceri possint: subtilitatibus insuper habitis, crassa Minerua & paullò rudiùs aliqua proponenda. *Salzhueb.*

Veruntamen vt Lector candidus hoc rectiùs adgnoscat: fidenter dico: tam faciles esse Rameæ Philosophiæ discendo artes: vt quò Peripateticus præceptor aliquem mediocri- *Quomodo Ramei suos erudiant discipulos.*

ter ingeniosum & industrium vix XVI. vel ad minimum XII. annis summâ cum molestiâ diducere posset: eò minori negocio possit eundem Rameus VI. vel ad summum IIX. annis perducere. Nam si discipulus offeratur Rameo præceptori decennis puer, præcedentibus ab infantia tribus annis saltem qui litteras exactè legere, & pingere mediocriter didicerit: modò sit ipsi ingenium, & adsit industria:

I. annus. *primo* disciplinæ inchoatæ anno rudimenta Grammatices exactissimè proponit ediscenda: & eorum intellectum, vsu statim coniuncto, ex collectaneis sententiolarum de pietate, & bonis moribus, alioúe facilis styli scripto, quod imbibendis pueritiæ sit moribus, declarat.

II. *Secundo*, horis matutinis iusta Grammatices præcepta in Etymologia & Syntaxi memoriæ mandari iubet: communiora Prosodiæ ac Orthographiæ præcepta coniungens: eaq; statim diebus alternatis meliorum interpretationibus Auctorum: vt sunt breuiores Ciceronis Epistolæ, Flores poëticę, & similes, tàm prosæ, quàm ligatæ orationis, auctores, explanat: analysi præceptorum diligenter, ex omnibus omninò perceptæ artis theorematis, instituta: & phrasibus vocabulisq; loquendi obseruatis. Pomeridianis verò Styli exercitium, per versiones sermonis vernaculi in latinum, primùm κατὰ λέξιν, pressas. Deinde crescente paullatim iudicio, ac verborum

borum copia, παραφραστικῶς liberiores, instituit. *Tertius* annus Rhetorices, in Tropis & Figuris, præcepta subiunget: & cùm crebras per analyses optimorum auctorum artis vtriusq; noticiam confirmabit: præceptis inter repetendum meliusatq; meliusdeclaratis: elegantiâ sermonis insuper notata, per exempla lectionis propositæ: tùm etiam per accuratiores Geneses Stylum pleniùs excolet: paraphrasibus in optimis historiarũ, & rerum moralium materijs effectis, & ligatę simul orationis progymnasmatis edendis. Triennij enim huius hic fructus esse debet: vt & Orationis artes accuratè puer perceperit: & sermonem latinum ore vel calamo regulis artium congruentem proferre queat. Qui cursus si cõmodè triennio sit absolutus: *quarto* pòst anno matutino tempore præcepta Logices simpliciter ac nudè spacio trimestri proponit, exemplis crassa Minerua declarata. Reliquo tempore istius anni, repetitis Memoriâ præceptis, cum Analysi Grammatices, ac Rhetorices, mox est iungenda Logices, in Classicorum scriptis: ostendendo artificiũ differendi, cùm in argumentis inuentis, tùm in dispositis: & eruẽdo rationes Axiomaticas atq; Syllogisticas. Pomeridiano verò tempore materiæ sunt Epistolarum, Orationum, Elegiarum, Epigrammatum, &c. subministrandæ: in quib⁹ quod artificij genus in Analysi puer auctorum conspexit: hoc in

III. (margin, beside "it. Tertius annus…")
IV. (margin, beside "nio sit absolutus: quarto…")

gene-

genesi debet imitari, & proprio Marte diuersis in materijs exprimere. *Quinctus* annus horis matutinis solidiorem Dialectices offeret explanationem: controuersiarum vtilium, & maximarum, ex Aristotelis & Interpretum scriptis, de quibus inter Logicos dissensio, decisionibus immixtis: alternatis verò diebus prælectionibus Auctorum interpositis: ex quibus discipulus, suopte ingenio, per analysin artificium cùm Sermonis, tùm Rationis omne, conabitur anquirere: & in memoriæ thesaurum ad imitandum seponere. Pomeridianis verò, diebus alternatis, Genesi incumbet, in orationibus, epistolis, carminibus componendis: & Disputationis exercitio, cum commilitonibus, præside præceptore, de rebus controuersis, quarum in vita communi scientia sit vtilis. Atq; hîc priuato studio consulendi Quinctil. & qui sunt hunc in oratorijs secuti delineationibus. Quo facto, totum tribus propædiæ generalis artibus est tributũ quinquennium: cuius fructus erit, vt discipulus, artibus, quas Dicendi vocant, perceptis *eleganter loqui poßit, ornatè dicere, & acutè disserere.*

V. (margin, beside "sis in materijs exprimere")

VI. Quibus peractis propædia specialis *Sexto* pòst anno venit horis matutinis in manus sumenda: in qua primas obtinent Rami, vel Rameorum Arithmetici libelli: Item Geometriæ eorundem rudimenta: quibus propter

vsum

vsum Mathematicarum artium demonstrandum sunt Elementa sphærica D. Scribonij, vel alius mox coniungenda. Pomeridianis iterum exercitio Styli, & Disputationibus tribuendis. Vbi possunt obiter & priuato conatu legi maiorum gentium Philosophi: Aristoteles, Interpretes, Agellius, Plutarchus, & alij: quorum propter varietatem lectio, & sapientiam comparandam venit vtilissima. Ad Græcam verò linguam quòd attinet, cùm ipsius etiam sit vtilis notitia, quarti, quincti, & huius sexti progymnasmatis est inserenda.

Hactenus itaque propædiæ studijs adolescens occupatus est: *Septimus* nunc annus eum ad ipsa Sapientiæ penetralia, & primùm ad *Ethicam* D. Rigeri, vel alterius cuiusdam Ramei dimittit: Cuius præcepta lectionibus Historiarum: & aliorum hac in arte librorum, Aristotelis, Ciceronis, Danæi, &c. item Disputationibus sibi familiaria reddet: Styli exercitio, & Propædiæ tàm generalis quàm specialis, progymnasmatis neutiquam neglectis. VII.
Octauo demùm anno ad Physicę penetralia duce præceptore descendet; & eius omnia capita, summa quorumlibet fastigia tangendo, cognoscet. Qua in causa D. Freigium, vel Scribonij nunquam satis laudatam Methodum sibi ducem seligat. IIX.

Quibus omnibus obseruatis & exactis adolescens XIIX. natus annos Philosophiæ stadium

ſtadium percurrit; vt reliquũ totius vitæ tempus vni alicui facultatum trium ſupremarum tribuat: & quæ Philoſophiæ pars fuerit ſequentibus aptior ſtudijs, in ea poſthac cum ſuæ facultatis operis ſe pleniùs & planiùs exerceat. Medicinæ enim deditus Phyſica reſumit, & quæ ſummariè didicerat antè, nunc per ἀνακεφαλαίωσιν ſingulis in capitulis perluſtrat: Iuriſprudentiæ verò ſtudioſus ad Ethica redit, & illa cum legum poſthac ſtudijs coniungit. Cæterùm generaliter in omnibus artium inſtitutionibus hoc notandum præceptori, vt artium præcepta perquàm breuiſſimè tradat: & eorum intellectum in vſu, Diſputationibus, & Stylo prolixiùs oſtendat: deniq; ad quorumcunq; de quibuslibet materijs probatiſſimos Commentarios priuato ſtudio legendos diſcipulum dimittat.

Et hic Philoſophici in ſcholâ Ramea, ſtudij curſus: hic terminus: intra quem ſe continebit, & vltra non extendet adoleſcentiæ annos, qui ſuis ſtudijs optimè voluerit conſultum. Ex quo, quàm ſint Catholicæ, quàm faciles, quàm breues Rami artes, meridianâ luce clarius eſt. Hactenus itaq; de ſyllogiſmo primo. Sequitur

SECVNDVS, hic:

Si Ramea Philoſophia rei litterariæ commoda non eſt: fuerit vtiq; ſtudijs adoleſcentiæ pernicioſa:

Sed

Sed Philosophia Ramea studijs adolescentiæ non est perniciosa.

Ergò omninò rei litterariæ commoda.

De PROPOSITIONIS connexione verâ non laboro: quippe, quæ certa satis est, ex immediatè contrariorum oppositione. Alterutrum enim necesse est, vt Philosophia quæcunq; vel sit commoda vel incommoda: si incommoda: vtiq; studijs perniciosa.

Adsumtio partim constat ex superiori ratione, quâ fuit demonstratum, quòd Ramea sit omnibus Philosophia requisitis bonæ doctrinæ satis instructa: partim sequitur vi Prosyllogismi huius.

Si perniciosa est Philosophia Ramea: vicium hoc vel ex auctore redundat in doctrinam: vel est in ipsamet doctrina.

At falsum consequens: Ergò & antecedens.

Propositionis est connexio necessaria: cùm tertium, præter hæc, accidentis huius non detur subiectum.

ADSVMTIONIS pars prior publicâ nititur historiæ fide; & aduersariorum quoque confessione. Nullius enim vel ab atrocissimis hostibus vnquam fuit criminis insimulatus: præterquã, quòd inuerecundè contradixisset Aristoteli. Posterior hinc manifesta: quòd

Artes Rameæ non sunt erroribus obnoxiæ.

quòd nullis illa, vel aduersus pietatem: vel bonos mores: vel artium sana principia, sit erroribus adhuc conuicta: nec illius vlla, contra sanæ doctrinæ leges, vt antè probatum, discrepantia. Quamuis enim ab Aristotele Ramus sæpe dissentiat: non tamen sequitur hinc, quòd errores disseminet. Et posito, minimè tamen in præiudicium veritatis concesso, quòd contradicendo Aristoteli errauerit: sanè rebus in eiusmodi talis error esset: vt nihil omninò vitæ humanæ intersit: huic, vel illi adstipuleris. Siue enim prædicamenta in suis quælibet artibus, & prædicabilia inter inuentionis argumentorũ locos ordine discas, quod vult Ramus: siue ante præcepta Logica in alieno loco & confuso modo, quod Aristoteles, & blasphemus ac turpissimus Apostata vester Porphyrius: sanè non video, quis inde promanet error; qui vel moribus, vel Reip. sit noxius: nisi quòd rei Scholasticæ multum intersit: hoc, vel illo modo pubes instituatur. Siue item materiam primam cum Aristotele serues: siue cum P. Ramo repudies: iterum nullus est perniciosus error. Nihilominus enim natura Dei nutu creat omnia: & Medicus ad vtilitatem hominum ex quorumlibet resolutione peruestigat omnia: licèt materiam primam nunquam viderit, nec esse talem crediderit. Quippe res hæ sunt eiusmodi: de quibus εἰς ἑκάτερον probabiliter ab iuuentute studio-

ſtudioſa, ſine legum diuinarum, vel humanarum offendiculo, diſceptare liberum. Si tamen adfert hęc Philoſophia perniciem: quod vos tantopere quiritatis; demonſtrate quæſo nobis, Rami, Rameorumque tam peſtilentes fructus. Quid damni dederunt artes à Ramo deſcriptæ rebus Eccleſiaſticis? quid Politicis? quid Oeconomicis? Si enim perniciosa dogmata ſunt ipſius: aliquē ex his vt vitæ ſtatum læſerint eſt neceſſarium. Verùm enimuerò, nónne ſic eſt: quòd Ramei ſunt ex magna parte, qui rem litterariā noſtris annis tanto cum ſudore, tantoq; ſucceſſu promouerunt? Quis ampliſſima iuris immenſi volumina tàm concinna digeſſit, hactenus interturbata, methodo, tam catenata ſerie connexuit? doctiſſimi viri: Vulteijus, & Althuſius. Quis vaga, perplexaque Medicinæ ſtudia breuiſſimo complexus libello? Brightus, & Scribonius. Quis innumeros & quadratos rerum Phyſicarum libros tam rotundo cōclufit opuſculo? Freigius, & iterum Scribonius. Quis Ethicorum Ariſtotelis ac aliorum plurima, ſatiſque diſputationibus ac quæſtiunculis ineptis dilatata reuocauit in ordinem præcepta? Scribonius, Rodingus, & ſollertiſſimus Rigerus. Quis Mathematicorum poſtulata diſcuſſit & in artis formam compegit? Ramus ipſe, Schonerus, Scribonius, & alij plures. Omnes hi Ramei. Hæccine pernicioſa Scholis? Nemo,

nisi qui det operam, vt cum ratione sollenniter insaniat, hoc, certò scio, dixerit. Quotquot hodie viuunt, æqui rerum iudices, (vestrum gregem vobis inuidia turgidum adhuc excipio) admirantur, & exosculantur, tam perspicuè breuissima, perplexè longissimorum studiorum isthæc compendia.

Quapropter, cùm probatum sit hactenus euidenter, Philosophiam Rameam rei litterariæ commodissimam, nec vlla ex parte sui cuiquam perniciosam: qua fide sit is, qui bono consilio repertam in Scholis non admittere, sed ad orcum condemnare laborat, tantaque commoditate rem litterariam defraudat: intra se videat, & cogitet, quam nam iudici quondam summo, sicut de quolibet inutili verbo, sic de falso aduersus proximum hoc testimonio, & de iudicio tam sit iniquo & acerbo rationem redditurus.

PARTIS PRIORIS CAPVT SECVNDVM.

Quòd Aristotelis Peripatetica Philosophia longè sit inferior Rameâ ducenda.

PRimum, prioris in hac Dissertatione partis, caput huc vsq; fuit, de Philosophia Ramea: quòd rei Scholasticæ sit omnium commodissima: sequitur nunc alterum de Philosophia

ſophia Peripateticâ: quòd iſta longò pòſt illam ſit interuallo ponenda, minimeq́; Scholis bene conſtitutis, illâ ſeclusâ, committenda. Quod, vt candido Lectori perſuaſum faciam: quod egi antea, breuem Rameæ Philoſophiæ ſubijciens oculis ipſius hypotypoſin, hîc nō ago de Philoſophia Peripatetica: cùm quòd illa nimis ampla ſit, ac confuſa, quàm vt ſe conſtringi patiatur tam anguſtis limitibus: tum etiam, quòd in Scholis vbiuis illa locorum ſit obuia, ac penè cottidiana. Sed illis omiſſis rectè progredior: & duabus iterum hanc theſin concludo ratiocinationibus. Quarum

PRIMA ſic eſt:

Illa Philoſophiæ doctrina, quæ magna ex parte nec firmis innititur principijs: nec eſt vtilis; nec Catholica: nec breuis: nec perſpicuè facilis: rei litterariæ tantopore commoda non eſt.

Sed Peripateticæ Philoſophiæ doctrina talis eſt.

Ergò rei litterariæ non eſt omninò commoda: & per conſequens Rameâ longè inferior putanda.

Adſumtionis probatione vide, Lector optime, apud Lud. Viu. lib. 5. de cauſ. corr. art. pag. 97. cū ſequentib. quattuor.

Propositionis eſt indubitata ratio.

Adsvmtionis partes ex ordine ſingulas ita ſtabilio:

I. Quòd, licèt Peripatetici Ramea, Rationis & vſus, non omninò tollant principia: ſic tamen ea cognoſcant: vt ad vnicum hoc è Schola Pythagoreâ, quod αὐτὸς ἔφα dictitant, omne

Aristotelica artium principia non sunt firma.

omne robur illorum transportârint: ita quidem, vt hoc in Cathedram collocent: reliqua duo verò subsellijs inferioribus insistere iubeant. Vnde factum voluerunt, vt ab his ad illius prouocari tribùnal posset: quod tantâ iurisdictionis armârunt copia; vt illo vel adfirmante vel negante, hęc ad nutum ipsius, vel loquerentur, vel cõticescerent: his verò duobus adserentib⁹ aliquid, vel negantibus, arbitrium tamen penes illud remaneret: quo stare vel cadere, quod protulerant ipsa, fas esset.

Aristoteles est artiũ principiũ.

Αὐτὸς autem hic, vt dicam clariùs, est Aristoteles, Peripateticæ familiæ dux, & Auctor: cuius omnia dicta scriptaq;, tanquam Delphici Apollinis oracula, habent ipsius Sectarij: cuius auctoritas ipsis est authentica, & norma certitudinis indubitata: in qua tanta probationis vis est de rebus humanis: quanta Moysis & Bibliorùm de diuinis. Quod ne quis per calumniam conqueratur à medicis: loco omnium similiter sentientium legat is hæc, magni cuiusdam Germaniæ nostræ Philosophi, in oratione quadam pro Dn. Philippi Dialectica, verba: *Præcepta dico* (inquit ille) *in hoc libello omnium optima esse: primùm quia ex Aristotele excerpta sunt, & cum eiusdem organo Dialectico congruunt. Ac de Aristotele quod dixi, nolo in controuersiam disceptationemq; ab vllo vocari, quin artifex sit ille, atq; magister huius artis omni exceptione maior. Id quod concedi mihi tribuiq; cupio, perinde vt Geome-*

Omni exceptione

tra

træ quædam dari sibi concediq́; postulant, quò faciliùs id, quod volunt, explicent, atq; obtineant. Non enim *patrocinio vllius eget Aristoteles: neq; is ego sum, qui patronum, propugnatoremq́; tanti auctoris, cuius à tot seculis inuicta inuiolataq́; fuit auctoritas, me constituere debeam.* Equidem verè *si iudicare volumus, ipsa* fundamenta artis *differendi labefactat is, qui Aristotelis Dialecticen conuellit, aut vituperandam censet.* Nec *principia alia Deus ipse mentibus nostris inuenit, ex quibus Dialecticæ præcepta exstrui poßint, quàm quæ Aristoteles in organo exposuit.* Vt *igitur contra negantem principia disputandum non esse omnes sani iudicant: sic nec Aristotelis Dialecticæ vituperatores operosè refutandi sunt, sed tanquam insani explodendi. Iam igitur hoc fundamento iacto, &c.* Hactenus ille. Consideret etiam mores & statuta, multis in Academijs, superioribus annis, & adhuc alicubi Philosophicæ facultati recepta: vt inter alios testis est Ioh. Casus in Dial. sua pag. mihi 144. quibus vel iuramento, vel autographo, sigillo præmunito, qui petunt honoris in Philosophia summos gradus, se cogebantur obstringere: *ne quidquam docere vellent, quod à Physica Aristotelis, & doctrina recepta foret alienum: quòd celebratißimam Aristotelis Philosophiam vbiuis gentium, vt veram, explicatam, & vtilem ac discentibus necessariam seriò publicè priuatimq́; commendaturi essent.* Consideret item laudes, tàm Aristotelis, *magni istius, & grandis, & admirabilis,* vt ipsius Parasiti loquuntur, *naturæ*

maior. Ergò nulla valebit cõtra opiniones ipsius ratio.

An nõ hoc est Aristotelem constituere normam certitudinis.

miraculi: quàm Philoſophiæ ipſius, cùm alibi ab alijs, tùm etiam paucos ante annos publico programmate in illuſtri quadam Germaniæ Scholâ verbis, nî fallor, huiuſmodi, in hanc certè ſententiam decantatas: *Ariſtotelis Philoſophia eſt ſinceriſſima, & tam perfecta: vt nihil ipſius ſermonibus addi: tam ſolida: vt nihil detrahi poſſit.*

Quo quid dici poſſet, bone Lector! clarius? Hæc enim Dei in commendando Decalogo, apud Moyſen, quod noſti, vox eſt ſeuera: vt nihil ipſius verbis detrahatur: addatur nihil. Quibus ſummam voluit exprimere perfectionem. Hæc, ſi Dijs placet, Ariſtotelis quoq; ſcriptis, elogia, huius, & aliorum ſimiliter inſipientium, competunt iudicio. Dices hîc forſitan: iniuriam vobis fieri: quòd Ariſtotelẽ, non per ſe conſtituatis artiũ principium, quatenus eſt Ariſtoteles: Sed quia dogmata ſua ad vnguem omnia ex principijs, & normis certitudinis, deduxerit. Scio equidem, veſtrum hoc eſſe latibulum. Verùm, bone vir, hæc eſt principij petitionis admodũ craſſa fallacia. Prolepſis enim & præſuppoſitum hoc veſtrum vocatur à nobis in dubium: & quæritur: ecquid Ariſtoteles etiam omnia ſua rationi & vſui congrua diſpoſuerit. Hoc, ſi viri eſſetis candidi, vel nobiſcum perpendere debebatis ipſimet: vel perpendentes id nos ægrè non ferre. Quo enim modo, qua ratio-

ratione, quaúe de causa cogar hoc vobis accredere: quòd Aristotelis scripta sint vera per omnia? Quia verò vel minimum ex ipsius effatis in disputationem trahi minimè conceditis, &, si fiat, ad arma statim proclamatis: certè res eódem recidit: vt nolentes volentes fateri cogamini vos Aristotelis, sine longiore disquisitione, dogmatis fidem dare: quòd Artife fuerit: cui quoquo modo fides adhibenda sit. Multi quidem sunt, qui conscientiæ pudore territi, paullò timidiùs ista proferunt: quasi non in omnibus Aristoteli credant: quòd hominem fuisse concedant: re tamen ipsa penitiùs adspecta, nihil omninò detrahunt ipsi fidei: præterquam in ijs, quæ, manifesta SS. Scripturæ luce oculos ipsorum perstringente, defendere non audent: quæq; sine impietatis exsecrandæ notâ, ne quidē simulatè disputandi causâ, proponi nequeunt. Omnia enim reliqua ipsius effata, vtut absurda, futilia, inepta, perplexa, & obscura: quouis tamen colore tegere, quauis subtilitate dolare, quouis respectu torquere, retorquere, fingere, refingere, limitare, ampliare, deniq; nihil non attentare malunt: quàm vt claræ veritati palmam tribuere, & Aristotelem erroris redarguere sustineant. Non secus, atq; si anathemate cautum esset: ne quis ab Aristotelis opinione recederet: pro qua tanquam pro aris & focis depugnare, pro qua vigilijs

adsiduis excubare, nec non mortis adire discrimen honestum ducunt.

Fragile Peripateticorũ principium.

Verùm, cordate Lector, tu mihi perpende, quæso, sanâ mente: quàm sit hoc stabile, quàm irrefragabile principium? Quis fuit Aristoteles? homo fuit, è profana gente: vtq; de semetipso Cicero, non Pythius Apollo: Sed homunculus vnus è multis, probabilia coniecturâ sequens: à quo nihil humani, sine dubio, fuit alienum. Qui fassus est ipsemet ingenuè in prima Philosophia: *mens nostra non aliter se ad naturæ manifestissima habet: quàm noctuæ oculus ad lumen solis.*

Audis Peripateticę Philosophę: quid hoc naturæ miraculum de semetipso glorietur?

Quod si verum est: errare profectò non modò potuit, sed etiam necessariò coactus fuit: humanum hoc est, & cuiusuis, Cicerone teste. τὸ γὰρ ἁμαρτάνειν ἀνθρώπους ὄντας, οὐδὲν οἶμαι θαυμαστὸν, Xenophon ait: hoc est, homines errare mirum non arbitror. Maximè in hoc viro, qui totam ferè circumcursitando collegit Encyclopædiam: quandoquidem ἀδύνατον πολλὰ τεχνώμενον ἄνθρωπον πάντα καλῶς ποιεῖν, vt idem dicit: hoc est, impossibile multa operantem bene omnia facere. Immò ἁμαρτάνει τε καὶ σοφοῦ σοφώτερος, Æschylo teste: hoc est, peccat etiam sapientissimus omnium. Quod & ipsum si ita se habet, habere autem se nemo sanus diffitebitur; quàm fragile sit hoc Peripateticorũ fulcrum, quàm lubricum fundamentum, quis ampliùs addubitat? Consequens itaq; hinc est, longè me-

liori

liori conditione Rameos esse, præ Peripateticorum nobili familia: siquidem illorum duo sunt certa, & stabilissima, in Ratione humana, atq; vsu, Rationis exemplari fundamina: horum verò vnicum duntaxat, idq; lubricum & fallax, in Aristotelis hominis, qui mendax est omnis, auctoritate.

II.

Quòd *vtilis* ex omni parte non sit Aristotelica Philosophia, probatione forsitan ad Lectorem candidum opus esset; nisi nos eo labore subleuasset D. Phil. Scherbius Altorfini Lycei Philosophus peripateticus: qui dissertationis suæ cap. postremo clarè, sed vanè proponit: *non in omnibus disciplinis vtilitatem spectandam.* Proh hominum fidem! Plinius exclamans quærit lib. ep. 8. *quotusquisq; tàm patiens est: vt velit discere, quæ in vsu non sit habiturus?* Desine, vir optime, mirari. Peripatetici nostri tantâ sunt omnes patientiâ: qui potissimam vitæ partem patienter impendunt istiusmodi studijs summo cũ tædio, & laboribus asininis (hos enim in peripateticæ Philosophiæ studioso requirit Ammonius interpres) quorum nullus, præter vagam, & vanam speculationem, reperitur in hominum societatibus vsus. Verùm, cordate Lector, si cogitabis, quorsum conditus sit homo; quàm preciosissimus sit temporis, quod his inutiliter impẽditur, thesaurus: si tibi reuocabis in memoriam

Vtilia non sunt Aristotelica omnia.

Vtilitas in artib. semper et vbique spectanda.

am Aristotelis ipsiusmet hoc: *quòd ex fine iudicetur actio:* profectò nunquam ita patiens eris; vt oblitus, cuius rei gratia sis in lucem productus, rem preciosissimã disperdas, & vitam nihil agendo traducas. Paria enim sunt agere nihil, & agere inutiliter: quod omnes faciunt, qui suæ actionis scopum sibi non præfigunt. Speculatio enim nuda rei, cuius si subtilissimè peruestigaueris notitiam, nulla sit vel ad Dei gloriam, vel salutẽ proximi iuuandam commoditas: non est finis legitimus hominis: qui ad agendum procreatus est. Si igitur ex malo fine, mala surgit actio: ex fine nullo, nulla similiter actio constabit. Sed ad rem propiùs accedendo, si lustremus omnes Peripateticæ domus angulos: non modò magnam thematum superuacaneorum copiam: sed etiam totas artes, & multas in artibus partes ociosas esse, quæ plus curiosæ subtilitatis, quàm solidæ vtilitatis habeant, vt Chytreus in lib. de ratione discendi de Organo Aristotelis ait, reprehendes. Illa recensere laboris esset immensi: harum pauca solummodò subijciens, ex te quæro, Lector Candide: quorsum faciat separata prædicabilium doctrina, ex inuentionis agro direpta, & organo Aristotelis, ab immani & truculentissimo Christianæ Religionis hoste Porphyrio, (qui Magicæ disciplinæ Saluatorem nostrum insimulauit: & Christianam religionem vltra CCC. & LX.

Inutilia apud Aristotelẽ dogmata.

annos

annos non duraturam vaniſſimè & impudentiſſimè prædixit: referente Crinito) præſtituta? Quorſum prædicamentorũ, &, quæ ante ac poſtprædicamenta dicuntur, inuentioni præfixa doctrina? vtpote Ciceroni, Quinctiliano, & omnibus benè diſſerentibus ignotiſſima. Quid ad eruditionem confert conuerſionis propoſitionum? quid Reductionis Syllogiſmorũ Ariſtotelis doctrina? ſic prorſus inanis in 8. Phyſic. libris materiæ primæ, priuationis, vacui & infiniti: item magna ex parte motus, temporis, loci, & ſimilium ſcrupuloſa ac laborioſa diſquiſitio. Sic fermè nullius eſt momenti, pleraq; Metaphyſicorum, per libros XIV. diſperſa, ſubtilitatum farrago: quippe quæ ἀληθῶς πρὸς διδασκαλίαν καὶ μάθησιν οὐδὲν ἔχουσα χρήσιμον, hoc eſt, reuera nihil, nec ad doctrinam, nec ad diſciplinam habet vtilitatis. Quod prudentiſſimi Plutarchi, & poſt hunc Lud. Viuis lib. III. de cauſ. corrupt. art. pag. 112. & lib. V. pag. 166. cordatum de libris his eſt iudicium. Quicquid enim in illa reperitur, ſub obſcuritatum latebris, lectu dignum: vel Theologicum eſt, & nobis in ſchola Spiritus S. inutile: vel logicum, & Dialecticæ retribuendum. Quod idem D. Philippi de libris hiſce iudicium fuiſſe, Chytreus in lib. de ratione diſcendi, teſtis eſt locuples: & diſputando defendit hoc acutiſſ. Goclenius in Ethicis diſputationibus. Sic neſcio

fermè,

fermè, quid sibi velint omnibus Aristotelis præceptis intermixtæ quæstionum argutiæ, & dubitationum subtilitates, ac scrupulosæ veterum de theorematis quibuslibet opiniones: quæ ad nauseam vsq; sine fructu recensentur, nec sine magno Lectorum tædio, longo verborum circuitu, refutantur operosè: quarum ob manifestam vel futilitatem, vel falsitatem refutatione non opus fuisset. Quas interpretes postea secuti & ῥαψῳδίας λεπτολογημάτων coaceruantes, auxerunt. De qua re vide quæso, quid sapientissimus Viues sentiat lib. IV. de trad. discipl. *Sed nec veterum Græcorum latinorumúe rimandæ opiniones omnes atq; placita. Nam quorsum attinet scire non defuisse, qui niuem atram esse contenderent, ignem frigidum? Scire quidem interdum fortasse nihil obesset; occupari autem dum id vel propugnes vel labefactes, id verò est nimis liberaliter abuti tempore. Itaq; & in Aristotele molestas illas disputationes seu rixas veriùs, contra antiquos Philosophos prætereundas censeo. Adde quod nec Aristoteles vbiq; narrat fideliter: nam inuertit illorum vel sensa, vel verba, nec satis validè confutat: deniq; non tanti est illa nosse.*

Arrige aures. Non *Ramus: sed L. Viu. ante Rami tempora sic locutus est.*

III.

Quòd item non sint magna ex parte *Catholicæ* Peripateticorum artes, probatu difficilimùm non erit. De præceptorum plurimorũ veritate contingente, vel ex aliqua parte languida, aut prorsus erronea dicetur postea.

Hete-

Heterogenia passim per omnia Philosophi scripta conspicua: quando Logica Physicis vel Ethicis: atq; hæc vicissim Logicis sunt intermixta. Sic enim, vt ex multis pauca, substantiæ, & qualitatis prædicamentum ad Physicos: Quantitatis ad Mathematicos refertur. Sic causarũ doctrina in Physicis, item in motus, loci, temporis ad Logicam remittenda. Sic fallaciarum in dictione theoremata æquipollentiarum quoq;, & ante ac post prædicamentorum fragmenta Grammaticæ & Rhetoricæ: Sic inuentionis ac dispositionis duæ Rhetoricæ vulgò recensitæ partes Logicæ fuerint restituendæ: memoria verò eidem tributa, Physicæ. Sic herbarum, & corporis humani cognitio à Medicis: adfectuum & animæ virium doctrina ab Ethicis ad Physicos: Sic Stellarum ratio à Mathematicis, ad eosdem releganda. Quæ omnia & multò plura, passim ab Aristotele & adseclis confusa, P. Ramus & Sectatores distinxerunt, ac suo quæque domicilio reposuerunt. *Heterogenia in Aristotelis scriptis.*

Sapienter & ordine disposita quò Peripatetica minùs sint: ociosæ simul & odiosæ plerumq; in vna & eadem arte eorundem præceptorum tautologiæ sunt obstaculo: maximè in organo Logico. Vbi causæ argumentum in analyticis, topicis, & alibi: Species, Genus, Proprium, &c. item relatio, locus, tempus, &c. in prædicabilibus primùm & prædicamentis, pòst *Tautologia Aristotelis.*

pòst in topicis: & alia multa diuersis in locis, iterum atq; iterum recoquuntur: quæ passim sunt obuia, & in suis scholis à Ramo preserua-ta. Quid verò, quid de serie partium Philosophiæ dicam? ita meherclè sunt hîc pleraque perturbata: vt vix, quid prius; quid posterius sit, adgnoscas. Philosophia ab Aristotele nusquam definitur: nusquã diuiditur: nisi quod ab interpretibus est attentatũ. Quorum vaga vanaq; partium Philosophiæ diremtio in Theoreticas, & practicas, statim parit in aditu Labyrinthos inextricabiles: ecquid bipartita Philosophiæ diuisio melior, an tripartita: ecquid Logica sit Philosophiæ pars, an instrumentum; an verò vtrumq;; quibus duabus quæstionibus decidendis penè XXX. complet Hospinianus Aristotelicorum non ignobilis interpres folia, quæ toti Logicæ conscribendæ non insumsit P. Ramus suæ: cùm tamen nullum mihi monstrare possis earum in communi vita fructum. Deinde Rhetorica Dialecticæ postponitur cognitioni: quæ cum Grammaticæ præceptis, vtpote circa idem subiectum versantibus, rectiùs iungi potuerat. Postea Mathesis pars Physicæ statuitur: cùm tamen in Ethicis eius etiam per-magnus vsus: & illa sit vtriusq; generale instrumentum. Dehinc antequam ad Physicen peruenias, Metaphysicæ tibi priùs offertur discurrendus Labyrinthus: postea Physiolo-

Philosophiæ partium vaga vanaq; apud Aristotelicos distributio.

gia

gia quædam per ementita principia, per motum, vacuum, ac infinita locorum ac temporum interualla, priusquam ad ipsam perueniās, obtruditur. Ne dicam de præpostero præceptorum in artibus ipsis ordine: cùm, quæ priora naturâ sunt; traduntur posteriore loco. Quod in Logicis est à Rameis euidentissimè demonstratum; & acerrimè reprehensum in digerendis Logicæ partibus: vbi inuentio postponitur dispositioni. Quod idem est, atq; si architectus construendi modum doceat: antequam quid Lapides, lignum, & cementa sint, discipulus prænoscat.

IV.

Deniq;, quòd neq; breues sint, neq; cum facilitate perspicuæ: probationis iterum laboriosæ non eget: cùm libri illius omnium sint oculis conspicui. Nam, quòd ad illud attinet, si conferantur opera, pro numero chartarum, Ramea, cum Peripatetica Philosophia: (de præceptis tantùm, non commentatorum adnotationibus dico) certissimè deprehendes: pro vnico folio in Rameis, centum, vel amplius numerari in scriptis Aristotelicis: Cùm tamen nihil in Rameis, quod ad eruditionem comparandam pertinet, sit omissum: & eódem studiosi Ramei perueniant exiguis suis aliquot chartularum libellis: quò ponderosis & quadratis infinitorum foliorũ voluminibus Aristotelici peruenire potuerunt.

Prolixitas præceptorum Aristotelis.

Ad

Obscuritas Aristotelea.

Ad istud verò, quò minùs perspicua mihi sit Aristotelis Philosophia, facit primùm ipsiusmet Aristotelis & interpretum spontanea confessio. Cùm enim Alexander ægrè ferret scriptis ad Aristotelem litteris, quòd acroamaticos Physicorum libros edidisset, quorum scientia solus excellere cupiebat; Aristoteles ipsi respondet his verbis ab Agellio lib. 20. c. 4. de Græco sermone redditis: *Acroamaticos libros, quos editos quereris, & non perindè vt arcana absconditos, neq; editos scito esse, neq; non editos: quoniam ijs solis, qui nos audiunt, cognobiles erunt.* Vnde Themistius auctor est, *longè aliter omnia forâs edita ab ipso, quàm si sint domi tradita: dementiæq; simile esse, si quis legendis libris ipsius speret sententiam consecuturum.* In quam sententiam plura dicit Lud. Viues lib. 1. Corr. art. Quod an boni Doctoris sit, non simpliciter, atq; aptè proferre, quæ inuenerit: sed præter laborem discendi grauissimum, &, quam per se materiæ inuestigatio nobis obfundit, perplexitatem, alia discentes insuper difficultate mentem ipsius, velut oraculo suspensam, magis intricata perquirendi indagine prægrauare: pij Lectoris sit iudicium. Profectò, si quis hodie sic doceret Philosophus: parum abesset; quin omnes impietatis, & inuidiæ macula conspergerent. Longè sensit aliter antiquitas veneranda prouerbio trito: ἀνεωγμέναι μουσῶν θύραι, hoc est, apertæ Musarum debent esse ianuæ.

Inuidia Aristotelis.

Philosoph⁹ non debet suam alijs inuidere doctrinã.

Vir

Vir enim bonus non vult latere, quod didicit: maximè si scientia, quam labore quæsiuit, cum paucis illi familiaris, & plurimis sit incognita. Tunc enim videtur consequi fructum laboris: cùm adipiscitur occasionem publicandi, quæ didicerit: quod Macr. 7. Saturn. ait. Hinc Cicero: *Fructus ingenij & virtutis tum maximus capitur: cùm in proximum quemq; confertur.* Cui suffragatur quod ait subtiliss. ille Schaliger: Liuoris, inquit, hoc est: (alijs inuidere doctrinam) *non hominis. Gaudeo enim, si quæ scire mihi persuadeo, cognita esse omnibus intelligam.* Similes igitur eiusmodi sunt homines canibus, Erasmo teste: qui Canariam herbam ita mandunt, vt homo non cernat: & percussi à serpente, aliam quandam petunt, sed quam homine inspectante non decerpunt. Quò magis mihi stultũ videtur, quod interpretes ipsius, imprimis Ammoniꝰ, in Logicis, excusandi causa, proferunt: scilicet opera datâ disseruisse obscuriùs: cũ vt lectores ingeniosos, redderet magis intentos: tùm vt segnes & stupidiores à se remoueret. Eas enim ipsas ob causas debuisset esse clarior, cùm vt ingeniosi citiùs arripere possent, & ad vsum præcepta cognita transferre: tùm vt languidiores ingenio, facilitate doctrinæ possent allici, nec obscuritate absterreri. Duo enim hîc Doctoris sunt enormia peccata; quod tempꝰ preciosissimũ ingeniosis adimit: & stupidiores in desperationem addu-

Lib. subtil. ad Carda. exer. 109.

Calua Aristoteleæ obscuritatis excusatio.

adducit. Vnde Cicero testis est: quòd Trebatium à Topicis Aristotelis obscuritas reiecerit: adeò, vt ab ipsis etiam Philosophis, præter admodum paucos, scripta tunc ipsius cognita non fuerint. In princ. Top.

Obscuritatis exempla.

Deinde conuincit obscuritatis intricatissimæ doctrinam Aristotelicã ipsa experientia, in lectione scriptorum Aristotelis, ac interpretum. In quibus tot argutiæ, tot subtilitates, tot distinctiunculæ, tot respectus: vt ijs peruestigandis & ritè concipiendis tota hominis vita vix sufficiat. Quæ enim per se fortè manifesta forent: hæc interpretes Græcis vocabulis, ostentationis causa retentis, sic obtenebrant: vt quid agatur intelligi vix possit. Quod ne confictum putes: ex immenso subtilitatum pelago paucas pro temporis ratione cape. Sic enim in explicatione propositionis κατὰ παντὸς aliquis distinguit: *Termini propositionis κατὰ παντὸς de se inuicem prædicantur, vel in abstracto formaliter & συνωνύμως: vel in concreto & παρωνύμως. Vbi vel subiectum tantùm, vel prædicatum, vel vtrumq; concretum. Deinde subiectum sæpe simplex est, prædicatum verò compositum è multis diuersis: vel contrà subiectum compositum est, & prædicatum simplex. Præterea termini sæpe sunt ambigui & ὁμώνυμοι, de vno propriè, de altero impropriè & figuratè dicuntur. Nam τὸ πᾶν interdum additur subiecto, quod æternum est extra materiam, locum, tempus & mutationem, &c.*

Item:

Item: *Subiectum τοῦ κατὰ παντὸς & καθόλου prioristicum seu logicum idem significare: posterioristicum verò seu analyticum differre ab his duobus.* Nam omne καθόλου πρῶτον præsupponit τὸ κατὰ παντὸς, & est κατὰ παντὸς: *Sed non omne κατὰ παντὸς, est etiam καθόλου πρῶτον: cùm hoc sit reciprocum, & omni δυνάμει ἀντιφάσεως careat, terminosque habeat adæquatos: quorum alter de altero ἁπλῶς ἐξ ἀνάγκης dicitur secundo modo per se, vt postea dicetur: illud autem τὸ κατὰ παντὸς scilicet non sit ἀντίστρεφον formaliter & καθόλου, sed duntaxat materialiter, & per accidens:* cuius *prædicatum aut οὐσιώδης est ἑπόμενον in eadem longitudinis logicæ linea, latiùsque subiecto patet: aut ἴδιον καὶ ἀχώριστον in lineis lateralibus eiusdem prædicamenti: aut κοινὸν καὶ παρώνυμον aliorum prædicamentorum, quatenus certa φύσει & alijs circumstantijs limitatur. Hinc subiecta & prædicata causarum, si sunt συνεκτικὰ καὶ ἴδια, prædicationem τοῦ κατὰ παντὸς recipiunt: si verò κοινὰ καὶ χωριστὰ τῷ κατὰ παντὸς, κατὰ μέρος substituunt, & à demonstrationibus, vbi comparatio fit τοῦ ὅλου πρὸς ὅλον, & omnia ὁμογενῆ sunt, arcentur.*

Sic in explicatione καθ᾽ αὑτὸ: *Propriorum vnum est ἴδιον, sed χωριστὸν: secundum ἀχώριστον, sed non ἴδιον: tertium ἴδιον ἀχώριστον, sed ποτε: quartum ἴδιον ἀχώριστον ἁπλῶς καὶ ἀεί. Quod non συνωνύμως, sed παρωνύμως, seu in quale prædicatur: & posterius est τῇ φύσει καὶ τῷ λόγῳ sub subiecto: quod diuiditur in simplex & compositum.*

Item paullò pòst: *Propria sunt mediata, aut*

immediata, & horum respectu subiectum dicitur vel primum & æquale, vel secundum & inæquale. quod angustius est, aut latius: vt loqui posse, subiectiùe scilicet non causaliter.

Item: *Propria sunt vel simplicia, vel composita ex oppositis κατὰ στέρησιν σχετικήν, aut ἑκτικήν.*

De καθόλου sic philosophatur idem: *καθόλου analyticum est prioristicum, vel posterioristicum. Vniuersalia sunt antecedentia vel περιεχόμενα, & consequentia seu περιέχοντα.*

De discrimine Metaphysices ac Logicæ dicit idem: *Logica dicitur omnis vt instrumentum, quod χρήσει, non κτήσει: ἀποφάσει, non καταφάσει definitur, quodq; in secundis νοήμασι versatur. Metaphysica verò communis est ratione τῶν πραγμάτων, & κτήσεως adfirmatione describitur, vtpote quæ communissima principia extra certum genus & subiectum simplicissimè considerat, quatenus sunt, non quòd alijs insunt.* Hæc ille.

Neq; hoc in Logicis tantùm, sed in Physicis etiam multò sæpiùs. Hæ enim recensentur ab aliquo principiorum distributiones: *Principia sunt τεχνικὰ, verbalia: τῶν ὄντων, realia. Illa sunt triplicia: κοιναὶ ἔννοιαι; ὑποθέσεις καὶ ὅροι: αἰτήματα: quæ inter se differunt definitione, dignitate, euidentia, fine, ordine. Ista verò sunt οὐσιώδη substantialia: συμβεβηκότα accidentalia. Substantialia sunt ἀσώματα incorporea, σωματικὰ corporalia. Incorporalia sunt vel πρῶτον καθολικὸν, καὶ ἁπλῶς: vel κατὰ μέρος, vel πῶς, aut etiam κατά τι. Hæc iterum*

aut nulli corpori insunt: aut insunt aliquo tempore. Quæ insunt, aut sunt naturæ prorsus supernaturalis, diuinæ, & cœlestis: aut naturæ incorporeæ & spirituosæ suo modo, sed non æthereæ: aut naturæ humoralis. Πρῶτα *sunt genuina, aut non genuina. Hæc sunt aut principalia, aut minùs principalia. Illa sunt rei vel naturalis, vel artificialis. Hæc in toto, vel parte. Illa autem materialia, aut formalia. Naturalia sunt, prima, secunda. Illa considerantur, vel ante nouam genesin: aut in ipso puncto generationis. Vtraq; distinguitur, in* γεννητικὰ *&* στερητικὰ. *Vtraq; existunt* δυνάμει, *vel* κατ᾽ ἐνέργειαν. Γεννητικὰ *in puncto, sunt aut* ποιητικὸν πρῶτον, *aut* παθητικὸν. *Ista verò sunt aut corpora ipsa, aut partes corporeæ. Accidentalia sunt in accidentibus absolutis vel relatiuis. Absoluta sunt diuidua, vel indiuidua. Illud est quantitatis* τοῦ ποσοῦ, *continuæ, punctum: discretæ, vnitas. Istud qualitatis. Quæ sunt vel habituum, vel naturalis potentiæ, & impotentiæ, vel passionis & patibilis qualitatis, & adfectuum vel figurarum. Habituum principia sunt intellectus & voluntatis. Illa sunt, formalia, & materialia. Figurarum sunt vera, vel fictitia. Relatiua sunt simpliciter, &* πρός τι: *non simpliciter, &c. Vtraq; consideratur in genere, vel specie. Quæ non simpliciter: illa coniunguntur quantitati, qualitati, relationi. Ex quantitate sunt temporis & loci. Vtraq; sunt actionis, aut passionis. Quæ considerantur in genere, vel specie. In specie sunt in augmentatione, alteratione, in aliis speciebus motuum. Cum relatione, sunt: situs, habitus, &c.* Hactenus & ille.

Ad Logices verò vt reuertar Aristotelicorum subtilitates ineptas, vide quæso, Lector optimè, quas spinas ingerant, quas tricas immisceant rei per se clarissimæ in inuentione medij termini. Quæ res cum vsu, & materiæ, de qua quæstio reuocatur in dubium, cognitione perfici facilimè possit: Hîc horrenda Sophistæ construxerunt mysteria, Mathematicis demonstrationibus, & barbaris vocabulis inuoluta. Vnde Pons asinorum, & aliæ picturæ mirificè confictæ. Quorum omnium summa his versibus occultata:

Fecana, Cageti, Daphenes, Hebare, Gedaco,
Gabati stant: sed non stant: Febas, Hedas, & Hecas.

Hîc tria, inquiunt, spectanda: I. tertiæ syllabæ vocalis, quæ indicat quæstionis concludendæ qualitatem: a, e, i, o. II. vocales duarum priorum syllabarum: quarum A nota prædicati, E subiecti. III. Consonantes in prioribus syllabis additæ: quarum B indicat consequens prædicati: C antecedens, D repugnans. Sic F significat consequens: G antecedens: H repugnans subiecti, &c. In hunc modum Aristoteles ipsemet precepta sua reddidit obscurissima, quòd non illustribus, & significantibus ac vtilib⁹: sed Abecedarijs, (Mathematicos, vt inquit Erasmus in adagijs, & Chytræus, quibus tamen istæ literæ certi quid designant, secutus) exemplis pleraque declarando magis tenebricosa dedit. Exempli causa:

sa: Omne B est C. Omne A est B. Ergò omne A est C. &c. His similia cuiuis occurrunt infinita, perlegenti cùm Aristotelis ipsius libros: tùm interpretum longissima commentaria. In quibus quidem omnibus non semper materiam (plurima sunt enim in his & vera, & vtilia) sed docendi formã reprehendo: quòd, cùm ea plerunq; tradant, quæ vel puer, vel cerdo quiuis intelligere posset: quò, videantur doctiores, rem per se facillimam, spinis peregrinorum vocabulorum, ac sermonis intricatissimi portentis sic implicent, & data opera inuoluant: vt Oedipus, diutissimè inhærens, diuinando tandem vix, ac ne vix quidem possit ipsorum animi sensa, saltem per transennam conspicienda, proferre. Quæ enim de tribus axiomatis κατὰ παντὸς, &c. tanto cum supercilio depromit ex intricatissimis cerebri sui thalamis arrogantissimus è familia Peripatetica Philosophus: certè talia sunt: vt nemo nisi diutissimè volutatus in Aristotelicorum commentarijs ea percipere queat: cùm P. Ramus illa tribus penè verbis ita perspicuè declarârit: vt vel pueri sine negocio magno captus ea possit dignoscere.

Ex quibus omnibus meridiano sole clariùs resplendet, Aristotelicam Philosophiam, pręterquam quòd vtilis, & Catholica non est, neq; breuem, neq; perspicuè facilem esse. Qua de re plura apud Lud. Viu. lib. 5. de caus. cor-

rupt. art. p. 166. lege. Quod vt candidus iterum Lector cognoſcat apertiùs: quod antè dixi, repeto: videlicet quò Rameus præceptor VI. vel VIII. annis mediocri diligentia diſcipulum ſuum perducere poteſt: eò vix Peripateticum XII. vel XVI. annis ſumma cum difficultate, & magno cum labore peruenire poſſe. Quippe ſi conditionis eiuſdem diſcipulus offeratur illi: pro more Scholarum Germaniæ, primo anno ſolet rudimenta Grammaticæ proponere, ex leui Donati cuiuſdam libello, plane manca & mutila. Deinde compendium quoddam Grammatices D. Philippi: poſtea maiorem vt appellant, Dn. Philip. Grammaticen. Quibus ediſcendis, repetendis, & ad nauſeam vſq; inculcandis ad minimum triennium datur: vſu vix ſemel atque iterū, ſiue in analyſi, ſiue in Geneſi cogitato. His exactis ad Græcæ linguæ admittuntur primordia: & ſimul compendium quoddam Logices, atq; Rhetorices Dn. Philippi, vel alîus, alternis diebus, & magno cum ſudore, diſcunt: ſic tamen vt ſi ſingulos penè dies ipſis tribuas, triennio vix poſſit abſolui. Quæ tamen tolerari poſſet temporis mora longior; ſi modò cum præceptis pari diligentia cōcurreret vſus. Qui negligitur, vel ſaltem ſegniùs tractatur pluribus in locis. Nam quod ad analyſin attinet: illi parua datur cura. Auctores enim vulgò ſic prę leguntur: vt ſumma, argu-

Ariſtotelica docendi ratio.

I. *II.* *III.* *IV.* *V.* *VI.*

Analyſes Peripateticorum quales.

argumentum, vel mens Auctoris, quid, & quâ de re tractet, duntaxat indicetur: admixtis, si quid rei sit obscuræ, notationibus historicis, item propriorum vocabulorum explicationibus è Lexicis repetitis. Grammatices analysis sæpè non curatur, nisi in leuioribus & puerilibus, vel in phrasibus dictandis atq; loquendi ad imitationem formulis.

De Rhetorica, quam ipsi habent, nihil amplius: quàm vt monstretur, vbi & quousq; sit Exordium, propositio, confirmatio, conclusio: &c. de figuris parcè: de tropis penè nihil. Dialectices examen fermè totum friget: nisi forsitan alicubi notetur: ratio prima, secunda, &c. rationis ratio, vel argumentũ ab maiori, simili, facili, vtili, possibili, absurdo, necessario, &c. quæ tamen omnia valde rara. Nihil enim de vi argumentorum, & eorundem in auctoris proposito dispositione. Quippe ridet aliquis ex Peripateticis nostros, quòd operam dare solent: vt scopum, & summam propositi in auctore scripti certis concludant syllogismis, ac prosyllogismis. Quibus sic expeditis postea iubetur adolescentia, quod prælectum fuit, memoriæ mandare. Ad genesin verò quod attinet: ipsa quoq; segniùs excolitur. Nec enim singulis diebus exercere stylum pueri iubentur: sufficit singulis hebdomadis semel, ad summum bis paullulùm quid exarauisse. Quæ verò lectionis huiusmodi sit *Genesis eorundem.*

vtilitas: vbi non accuratiſſimæ trium artium analyſes,& præceptorum, per examina analytica, repetitiones adinſtituuntur: euentus oſtendit. Plerumq; enim fit, vt diſcipuli hoc toto ſexennio vix eò progrediantur: vt congruè iuxta regulas Grammaticas aliquid paraphraſticè reddere queant. Paucos enim reperias, qui notitiam troporum atq; ſchematum: pauciſſimos verò, qui argumenta, & ipſorum relationes, ac vim arguendi in axiomate, vel ſyllogiſmo teneant. Quibus abſo-
VII. lutis annus iterum tribuatur ad minimum vnus Matheſios rudimentis. Dehinc quid fiet? ecquid ad ipſa Pædię penetralia diſcipulus deducitur? Minimè verò. Hactenus enim riuulos tantùm deguſtauit puer: nunc demum
IIX. IX. ad ipſos dimittetur fontes exhauriendos. Hîc
X. igitur Rhetorica Ariſtotelis,& in organo Logico dogmata cum ſubtilitatibus omnibus deuoranda; quorum tantus numerus: vt ſi diligentiſſimus ſis, vel vnico tantùm commentatore adhibito, ſine quo vix vnam percipies pagellam, triennio curſus hîc abſolui vix dum poſſit. Et tunc demum ad Ethica deuenitur, atq; phyſica. In illis ſunt Ethica Ariſtotelis ad Nicomachum: & alia quæ vocantur magna. Quorum tanta prolixitas: vt ſi illis tan-
XI. XII. tùm quæ ſunt ad Nicomachum breuiora vacare velis ediſcendis; biennio ſit opus: quibus tamen vix dimidia virtutum, & quæ ad virtu-

tes

tes pertinent, pars est comprehensa. Ad ista priusquam dimittatur adolescens, immensum tranare cogitur Metaphysicorum pelagus, in quibus summa rerum entia, quatenus talia sunt, vt ipsi philosophantur, exhaurienda: quod si biennio fieri queat, citissimè sanè XIII.
factum putabitur. His ita animi discentium XIV.
ad philosophandum præparati, dimittuntur ad generalia Physiologiæ capita, quæ sunt VIII. libris comprehensa: quibus biennio XV. XVI.
forsitan absolutis, tandem deuenitur ad ipsa & genuina Physicæ dogmata: quorum quotquot ab Aristotele sunt (non enim omnia plenè disposuit) exposita, libris XXII. sine ordine sunt compilata: quibus quid spacij restet ediscendis, quilibet secum ponderet. Sa- XVII.
nè si quis obiter solummodò legere vellet ad- XIIX.
hibito commento, biennium vix credo sufficeret. Quibus ita connumeratis in summam veniunt anni XIIX. qui Philosophiæ studijs saltem percurrendis ex Aristotelica Methodo sunt tribuendi. Quo cursu peracto, iam studiosus annos est natus XXIIX. antequam certæ cuidam facultati se dedere queat. Quid igitur temporis restabit, quod Theologiæ, Iurisprudentiæ, vel Medicinæ possit homo tribuere? cui certè tantò plus erat dandum: quantò maior est huius dignitas atq; facultas. Philosophica enim omnia sunt generalia, atque huius subsidia, & fulcra: non autem primaria

Philosophicis studijs

diu non est inhærendum.

Facultates Philosophiæ doctrinæ debent adiungi.

maria studiorum nostrorum capita. Vt facultates rectiùs ediscamus: Philosophica præmittimus: sine quibus hæc quidem condisci, sed difficilimè queunt. Omnia autem hæc, nisi facultatũ subsequatur aliqua, vana sunt, & vtilia. Quæ igitur per Deum immortalem hæc est dementia: quæ vesania: floridæ & robustæ iuuentutis preciosissimos annos, & viriles magna ex parte, studijs impendisse humilioribus; sublimioribus autem ea quibus hoc vniuersum regitur atq; seruatur, senectuti molestissimæ & infirmæ relinquendis? profectò si verum est hoc Logicorũ: propter quod vnumquodq; tale est, illud magis tale: verissimum quoq;, siquidem Philosophiæ studia, facultatum gratia, sunt reperta: plus temporis & operę Facultatibus quàm Philosophiæ studijs esse tribuendum: sicut illa maximè propædiæ studia pueris sint & adolescentibus: hæc verò ab anno XIIX. quæ plena pubertas iureconsultis dicitur, vsq; ad viriles ætatis annos iuuentuti floridæ concedendæ: & dehinc ad Scholas, Ecclesiam, vel Remp. pro virili iuuandã transeundum. Nec enim tam in principijs, quàm post principijs vtilitas studiorum comparet: seroq; peruenit ad metam, qui primis in spacijs diutiùs hæret.* Quibus ita positis, consequens est, Peripateticam Philosophiam præ Ramea non ita scholis esse commodam; atq; ideò Rameæ nullo modo præferendam.

dam. Quod vt clariùs patescat, consideretur ratiocinatio

SECVNDA.

Si vitiosus est alicubi non modò Aristoteles ipsemet, sed etiam doctrina ipsius: Sequitur peripateticam disciplinam non omninò commodam rei litterariæ.

Sed verum prius. Ergò & posterius.

Adsumtionis PARS PRIOR.

De persona Aristotelis vitiosa.

De persona Aristotelis plana satis, ex collatione Personarũ vtriusq; Philosophi, conspicitur. Siquidem Ramus fuit Christianus, & veram in Christo fidem perspexit: ille verò Aristoteles, ex profana gente, vanæ profanæque, de Dijs fictitijs, doctrinæ deditus. Ad humanam tamen sapientiam, hoc est, quam naturæ lumine conspicari potest humanus animus, age, quid vterq; possit, videamus. In Ramo nihil, præterquam quòd Aristoteli & interpretibus ipsius, nimis acriter contradixerit, vel ab ipsis hostibus deprehenditur: quòd verò virtutibus illis, quę Philosophum, & bonum virum condecorant, satis abundè fuerit instructus, ijdem testatum faciunt. De Aristotele cur paria dicere nolim, fides historiæ non dubia me mouet. Certè si cum vulgi sermone facere vellem: qui cauendum præcipit ab his, quos natura notauit: non incommoda reprehensionis ansa daretur ex eo: quòd

quòd paruo corpore, gibbosus, malè formatus, & balbus fuit: adeò, vt annulis & veste splendida ad tegendam deformitatem corporis, teste Diogene Laërtio, sit vsus. Hoc tamen dico: idipsum quod Ramo vitio datur: ex Aristotelis scriptis multò firmiùs in Aristotelem dici posse. Nulli enim ante ipsum, vel cum ipso fuêre Philosophi: quos non, vbicunq; data fuit occasio, falsitatis arguerit: adeò, vt ne quidem præceptori suo Platoni, cui auscultauerat annos XX. (qui præcipuus omnium Philosophorum fuit; siue acumine disserendi: siue eloquendi facultate quadam diuina, & Homerica: qui non hominis ingenio, sed Delphico quodam Oraculo videtur indistinctus, teste Fabio) parcendum censeret. Quem cùm sæpe verissimè sentientem vellicare non erubuerit: non desunt, qui ꝓpterea φιλονικείας, stultę contentionis, inuidiæ, ingratitudinis, calumniæ, & Philautiæ maculas ipsi inurunt. Data enim opera, quacunque demùm via, tentat omnia: ne vestigijs eius insistere videri possit. Quod vel vnicus ille docet in 1. Ethic. ad Nicom. c. VI. locus, de fine hominis: in quo refutando, quod egregiè calumnietur, testantur ipsimet interpretes: Themistius, quòd Platoni sub specie fallaci perpetuò contradixerit: Simplicius, quòd potiùs in ideæ negocio, ad verba, quàm sententiam, argumentatus sit: Eu-

Aristoteles Platoni iniquiter contradixit.

Lib. X. orat. instit. cap. 1.

stathius

ſthatius denique, quòd fallaciter & captiosè aduerſus ideas diſputauerit. Teſtatur Ioh. Lud. Viues egregijs argumentis lib. VI. de cauſ. corr. art. Teſtatur etiam Ioh. Caſus Peripateticæ familiæ Anteſignanus, quòd Ariſtoteles, priuſquam Platoni vera dicenti cedat, potiùs paradoxon adſerat, & cùm vmbra Præceptoris ſui ludat. Vnde Platonis ipſius, de ingratitudine diſcipuli conquerentis, à Laërtio, & Æliano lib. IV. litteris mandata vox eſt: Ἀριστοτέλης ἡμᾶς ἀπελάκτισε, καθαπερεὶ τὰ πωλάρια γεννηθέντα τὴν μητέρα, hoc eſt, *Ariſtoteles in nos recalcitrauit, non ſecus atq; in matrem pulli geniti.*

Lib. 10. c. 2. quæſt. moral.

Et multum de Philoſophica hoc dignitate detrahit: quòd hominem mollem, & auarum fuiſſe, penes hiſtorias publica ſit fides. Præterquam enim quòd hominis finem in felicitate ſtatuerit: quę ſine adfluentia omnium corporis, & fortunæ bonorum ſtare nequeat, pro Epicuri dogmate: teſtatur Suidas, quòd legitima coniuge non ſatiatus, Herpyllidam concubinam domi ſuæ aluerit: ex quâ Nicomachum filium ſuſcepit. Teſtatur etiam Eraſmus, & Laur. Valla, quòd ferè plumis alienis, auctoris nomine ſuppreſſo, ſe fuerit ornare ſolitus: quodq; immodicas, in aula Regia diſcipuli ſui, in qua decennium permanſit, opes corraſerit; cùm hæredes ipſius in auctione ſeptuaginta patinas venum produxiſſent.

Ariſtoteles fuit homo mollis & auarus.

Et ſi cætera ſine crimine vixiſſet: hoc

Ariſtoteles impius.

certè

certè nullam patitur excuſationem: quod ab Athenienſium iudicibus ad dicendam ſententiam legitimè vocatus, cùm accuſatus eſſet impietatis: quòd vt ἄθεος καὶ ἀσεβὴς, vel dogmata quædã protuliſſet, quæ Deorum cultum minùs probarent: vel, vt alij volunt, Hermiæ Eunucho Pæana ſcripſiſſet, & ipſi, præ nimio amoris impotentis adfectu, ſacra faceret: non exſpectata iudicum ſententia, profugus in inſulam Chalcidem abiuerit, vt teſtis Crinitus; & ſumto veneno mortem ſibimetipſi conſciuerit: vel, vt alij, mœrore animi nimio ſuffocatus in rebus humanis eſſe deſierit: eodem Suida teſte.

Mortẽ Ariſtoteles ſibimetipſi conſciuit. Lib. 10. cap. 2.

Verùm hoc preſſiùs vrgere non cupio: quamuis, ſi inuectiuas in Ariſtotelem ſcribendi ſtudio tenerer, nec facultas, nec materies hîc aptiſſima deficeret. Quod autem quaſi παρέργως attigi, factum fuit in illorum odium, & iſtorum gratiam: qui fictis Ariſtotelem laudibus onerando, ſanctimonia vitæ penè Deo comparandum perſuadent alijs eum, vel ſibi perſuaſum habent. Quamuis enim ſi velimus incorruptè iudicare, vita turpiter acta dogmatum Philoſophi cuiuſq; veritatẽ non omnimodò turpificet: attamen, quid non facit, rabioſum maledicendi cacoëthes, & veſanum cauillandi ſtudiũ? Deum immortalem! Si vel minimum ex his obſcuriſſimo viliſſimi Scriptoris teſtimonio de Ramo compertum habe-

habeřent Aduerſarij: quantas illi mouerent Tragœdias! quanta opprobriorum plauſtra conueherent! quàm panicos de fugiendis tam malefici viri ſcriptis clamores detonarent! Longiùs igitur his, iterum dico, non inſiſto: cùm, neminem fore tam iniquum, ſit exploratum mihi iudicem; qui eò vſq; impudentiæ proceſſerit: vt Ariſtotelem Ramo, vel in minimis viri boni ſymbolis, cōparare, nedum meliorem non erubeſcat facere. Quippe ſi pietatem ſpectes, quæ virtutum regina dicitur: nullus hic Ariſtoteles. Si ſapientiam: ſolidior profectò fuit in P. Ramo, qui eam ſolius naturæ & ingenij ductu, in vnius atq; alterius libello ſuppreſſam, perueſtigauit penè XL. annorũ ſpacio, & ex immobilibus principijs exſtruxit: quàm in Ariſtotele, qui dubijs plerumq;, & λίαν μεγάλοις αἰτήμασι, ſuffultam, ex omnibus Philoſophorum libris, quos in aula Regia, liberalitate ſui diſcipuli, ſine negocio, conquiſiuerat, collegit: & omnium ſeculorum gentis profanę ſapientiſſimi viri Platonis ad annos XX. manuductione fuit vſus. Si deniq;, quæ maximè virum decorat Philoſophum, conſtantiam, in veritatis profeſſione, & quæ plerunq; ſequitur ex hac, calamitatum quarumlibet tolerantia: nulla maior viri & Philoſophi noſtri fuit. Quò minùs enim emergeret, primùm paupertas obſtitit; durum telũ: Poſtea Sophiſtarũ, & maleuolorũ longè

Collatio Rami cum Ariſtotelis perſona.

durius;odia,minę,iniuriæ,contumelia. E quibus in vnum collatis orta sæpius illudia, probra, exsilia, proscriptiones: & tandem per vulnera nex innocentissima. Quæ omnia tulit atq; pertulit animo tam constanti, tamq; magno: vt non modò nunquam iudicia, licèt suspectissima, fugerit, ad dicendam vocatus sententiã: sed etiam animo intrepido contumelias omnes, adeoq; lethales, à crudeli Sicario, plagas, in vera ad Filium Dei directâ fide, fortiter exceperit.

PARS POSTERIOR Adsumtionis.

Doctrina magna pars Aristotelicæ vitiosa.

De doctrina constat indè: quòd plurima sint in operibus Aristotelis dogmata: quæ cũ sacris literis pugnant, cum principijs naturæ notis, cum bonis moribus, adeòq; cum sano rationis iudicio. Quæ quò possint excusari minùs σφάλματα; facit ipsius ambitione & superbia turgescẽs animus, quo volens vidensque non ex errore: (hoc enim humanum est; & etiam τῷ σοφῷ σοφωτέρῳ contingit) sed mero τῆς ἀντιπεραντολογίας, ἣ ἐπιθυμεῖ πάντα ταῖς ἐναντίαις γνώμαις συντάραξαι, hoc est, contradictionis adfectatæ, quæ omnia cupit contrarijs opinionibus inuoluere, studio: ne quidquam videretur à præceptore suo, & alijs capta sse: sed in aliquibus ipso Platone doctior euasisse: vanas opiniones, & paradoxa adoxa nobi-

nobilissimis Philosophiæ quibuslibet partibus infarsit. Plerumq; enim accidit ipsi, vt, vbicunq; liuoris, vel vanæ gloriæ stimulo titillatus, à præceptoris sui sententiâ verissima recedere voluit: turpissimis errorum voraginibus sit absorptus. Cuius illustre rei in Ethicis exemplū, quod antè memini. Plato namque, vir eruditionis stupendæ, & ad veritatem profitendam natus, vt ait Crinitus, statuerat ideam, hoc est, veram Dei cognitionem, summum humanæ vitæ scopum: quam in hac vita inchoaret, & postea solutus à cōtagione corporis homo perficeret. Perfecta siquidem felicitas in hac vita non esset expectanda: vt in Philebo, in conuiuio, & moriens in Phædone sub persona Socratis disserit. Quia enim Deus summa bonitas erat, & perfectissima: putabat vir summus, si compotes illius fieri possemus, summo iam nos bono perfrui. Quò felicitatis illum duntaxat peruenire dicebat: ὃς ἂν προθυμεῖσθαι ἐθέλῃ δίκαιος γίγνεσθαι, καὶ εἰς ὅσον δυνατὸν ἀνθρώπῳ ὁμοιοῦσθαι θεῷ: hoc est: qui haberet propositum iustè viuendi, & quantum homini possibile, Deo, accomodando se ad voluntatem & cognoscendo essentiam ipsius, adsimilis esse. Qua certè vix est, vt ab Ethnico vel melior adferri possit, hac de re, vel clara magis opinio. Adeò vt D. Aug. dixerit: *cùm Philosophorum alij summum bonum in corpore, alij in animo, alij in vtroq; posuerint: cedant omnes Platoni-*

Idea Platonica defensa contra Aristotelem.

cis, qui non dixerunt hominem beatum, fruentem corpore, vel fruentem animo: sed fruentem Deo, &c. Nihilominùs tamen Aristoteles discipulus hanc præceptoris sui sanctissimam vocem falsè ridet, per totum cap. 6. lib. 1. Ethic. ad Nic. Et aliam, ex molli & delicato gregis Epicurei cerebro, depromit: vitam scilicet hominis in felicitate per virtutem perfecta; & omnibus bonis consummata consistere: quæ sine fortunæ adminiculis constare nequeat: Adeò, vt pauper, deformis, orbus, ignobilis, aliaúe fortunæ aduersę procella perculsus, ad summum hominis bonum conscendere non possit. Vnde Priamo felicitatem denegat: quòd in extremo vitæ die, casu violento sublatus esset. Quæ profectò tàm languida & blasphema: quàm leuis & rudis est opinio: vt non eam modò sacræ litteræ damnauerint; sed & omnes, sanæ mentis Philosophi maximis argumentis naturæ lumine adiuti, sint abominati meritò? Immò quod ipsemet Epicurus ait: Sapientem, si in tauro Phalaridis torqueatur, dicturum tamen: quàm hoc suaue: quàm nihil curo. Quæ causa fuit: vt non modò Origenes, Nazianzenus, Nyssenus, Ambrosius, & alij: sed & gentiles ipsi eum pro impio habuerint.

Impia de fine hominis Aristotelis sententia.

Errores Aristotelis alij.

Quid verò dices ad hoc; quod adserit Aristoteles: Deum non esse summi boni datorem cap. IX. dicti libri: Felicitatem perfectam in hac vita cótingere, alteri nihil relinqui. cap. X.

Sapien-

Sapientiam similiter hominibus inesse: vbi Simonidem deridet: quòd solum Deum sapientem dixerit. Idq́; contra Platonem: qui clamitat humanam Sapientiam, aut nihil, aut perparum esse. Item: Iuuenem ab Ethica disciplina arcendũ. cap. III. Verecundiam non esse virtutem lib. IV. cap. IX. Fortitudinem versari circa terribilia: sed non quæuis. Cùm in tolerantia infamiæ, paupertatis & mortis, &c. nõ sit fortitudo. Quo nihil dici potest vel in religione nostra, vel gentilitate peruersius. Quasi martyres nõ fuissent fortes? Quasi Miltiades in vinculis, Themistocles in exsilio, &c. fortis non apparuerit? &c. At longè maiora sunt, quæ contra eundem suũ præceptorẽ docet: quòd mundus sit æternus: ex stulta & ridicula ratione: quia motor æternus. Cur eadem ratione homo non est æternus: quia mouetur à Deo? Quòd item anima sit mortalis: de quo Valla Dial. l. 1. c. IX. quòd nullæ nobiscum natæ principiorum notitiæ: quòd Dei prouidentia sit nulla: quòd idem non procreârit mundum: quòd ex nihilo nihil facere queat, &c. quæ omnia in Metaphysicis, & alibi passim, magno spiritu decantat. Taceo multa alia: quæ in Physicis occurrunt: è quibus insignia sunt; quæ in Anatomia nostri seculi correxerunt, & refutârunt Philosophi: vt cùm statuit, in corde esse originem venarum, lib. 3. de partib. animal. Qui tam crassus &

ſubruſticus error eſt: vt Schegkius iuratum illud Peripateticæ doctrinæ mancipium, pudore cogente, ferre non potuerit: ſed grauiter & acerbè ſatis refutauerit, prævaricationis & Sophiſtices turpis obijcere crimen naturæ miraculo non reueritus. Lib. de Sanguificatione. Item cũ de materia prima, informi, & inſenſili, vt ipſe loquitur: deq; priuatione, in generatione & corruptione ſuo more: ne quidquam Philoſophis Medicis conceſſiſſe videretur: ad ludificandum Dei ex nihilo rerum omnium creationem, ſtultiſſima, rurſus contra Platonem, qui cum diuina ſcriptura Chaos poſuerat, ſomniauit ſomnia. Stamen aranei, dicit veriſſimè D. Baſilius, *qui hoc ſcribunt, profectò, texunt: qui pertenues adeò cauſſas, exiguaq; Principia, cœli terræq; ſupponunt: quæ in ratione rerum eſſe non poſſunt.* Quæ omnia recenſere non fert huius ſcriptionis anguſtia. Sed dicet aliquis: natura duce talia ſcripſit: nec aliter ſentire potuit Dei Spiritu non adflatus. Quaſi verò natura tam cæca eſſet, vt cùm nôrit rerum omnium originem, ortum, & interitum, ſeipſam penitus ignoraret, & æternam ſe crederet, quæ rerum ſuarũ mutabilitatem omnium indies adſpiceret. Sed ignorauerit natura: certè Ariſtoteles naturæ miraculum, h. e. natura diuinior & præſtantior ignorare non debuit. Vnde autem ſapientiſs. ille Plato, & alij cum ipſo Philoſophi reſciuerunt animã immortalem;

mun-

mundum non fuiſſe ab æterno; Deum eſſe hominis finem ſummum: ſi non è naturæ & Rationis id habuit dictamine? Calua igitur hæc etiam & planè in naturam, immò ipſum Deum blaſphema excuſatio: qua naturæ tribuuntur errores, qui cæcæ Philoſophantium ignorantiæ erant tribuendi. Sed ex his craſſioribꝰ, & in immenſo numero pauciſſimis, Adſumtionis eſt in hac quoq; parte ſatis ſtabilita veritas. Ex qua ſequitur, quòd præcepta Ariſtotelis, ſiue perſonam, ſiue doctrinam ſpectes, cum Ramea Philoſophia neutiquã conferenda: ſed multò leuiora reputanda.

Vt ſic ex his omnibus in vnum collectis euadat manifeſtum; quòd Philoſophia Ramea ſit omnium commodiſſima iuuentutis ſtudijs: & Peripateticis longè dogmatibus præferenda. Id quod demonſtraſſe oportuit.

DISSERTATIONIS INSTITVTÆ PARS POSTERIOR, REfutans Aduersariorum calumnias.

HActenvs igitur confirmatum solidè fuit, & probatum satis euidenter: Rameam Philosophiam, quòd vera sit, vtilis, & erroribus obnoxia nullis, esse præ reliquis sinceram, & rei litterariæ commodissimam: Peripateticam verò, quòd in multis sit vitiosa locis, illi non modò non preferendam, sed ne conferendam quidem: nunc, vt primaria calumniarum tela, quibus hanc Philosophiam Peripatetici sauciant, & ad imperitum vulgus malitiosè traducunt, repellam breuiter; susceptæ Dissertationis altera pars superstat. Quæ vel omnibus omnino Rami hostibus sunt communia, vel peculiaria quibusdam.

Calumniæ *Communes*.

I.

Harum prima, & penè præcipua prostat semper in acie prima: quòd Antiquitatis veneran-

nerandæ,& Aristotelis,hominis supra sortem humanam sapientissimi,decretis Ramus contradixerit. Sic enim Ioannes Casus in præfatione Logices ex hoc fonte disputat: *An in eo solùm(Ramo) omnes resederunt Musæ? fieriné potest, vt vnus homo in omnibus & singulis scientijs ita proficeret, vt omnes duorum ferè millium homines præ illo delirâsse viderentur?* Et paulò pòst: *Certum est tot homines, tot ætates, tot Academias, quæ prænominatos Auctores nobis dederunt, nequaquam insaniisse, &c.* Hoc itaq; præcipuum est Peripateticæ familiæ propugnaculum ab Auctoritate, argumento inter omnia leuissimo, depromtum.

Mirum profectò, tam præstantes, in omni doctrinarum genere, viros ita muliebriter ineptire, tam molliter disputare! Postquam enim omnia tentârunt,& nusquam fortiùs pedem figere queunt; tandem, non quòd malè, vel iniustè, (in huius enim probatione deficiunt) sed ad hoc, quòd antiquitati, & Aristoteli Ramus contradixerit, vltimum refugium discurrunt. Cui quanta vis insit argumento, mecum perpende Lector optime. Notum est auctoritatis vel testimonij vim, in exquisitis rerum probationibus, parum admodum valere: & si valeat: id non sua vi: verùm artificialium argumentorum auxilio, & efficacia obtinere. Vnde Iureconsultus sapienter ait: non tàm testimonijs, quàm testibus adhi-

Auctoritatis argumentū infirmum.

bendam fidem: hoc est, non dicto testis per se credi oportere: Sed quatenus id artificialium sit argumentorum robore stabilitum. Quæ cuiusmodi sint hîc, alia non video: quàm quòd vir sapiens, & doctus fuerit Aristoteles: quodque tota antiquitas, & secula ab ipso omnia, apud omnes gentes humanitatis cultores, fidem dictis ipsius habuerint. Quæ nunquid sint firmæ certitudinis notæ, contra quæ disputari nequeat: profectò non nemo dubitauit seculis retrò collectis omnibus. Nam licèt hoc nemo neget; quòd sapientia, virtute, doctrinaque præstans fuerit Aristoteles: non tamen hinc euincitur, quòd extra humanitatis, hoc est, erroris atque infirmitatis aleam positus semper fuerit. Magnum illud sapientiæ sidus Plato longè sensit aliter in Phædro. Cùm enim Hippocratis, Medicorum summi ducis, auctoritas obiecta fuisset, respondit: *Scitè loquitur* (*Hippocrates scilicet*) *ô amice; Sed oportet præter Hippocratem considerare: vtrum nobis disputationis ratio consonet.* Ab erroribus autem planè immunem esse, Christiani scimus, vni tribuendum Deo: & ex hominibus illis tantùm: qui Dei Spiritu sunt prolocuti: Prophetis videlicet & Apostolis. Reliquis aliquid in rebus humanis adseuerantibus nusquam, nisi sint artifices ipsimet, de rebus sibi subiectis habetur fides. Et hoc

casu

casu non simpliciter ipsis creditur aliquid dicentibus: sed, vt accuratè Dn. Philippus *probabiliter & perspicuè adseuerantibus.* Idque rursus eo duntaxat casu: quando nihil est ex artificialibus argumentis, quò rei veritas illustrari possit. Sic tamen, vt, si probabilis auctoritati veniat obijcienda ratio: nunquam illius tanta vis: vt huius in contrarium probationem si diluere nequeat, non admittere cogatur.

Artifici quomodo & quando credendū.

RATIO igitur præferenda semper ex artificialium argumentorum aliquo deprompta: *quæ si benè sit adhibita, cernit quid optimum sit: neglecta multis homines implicat erroribus:* vt Cicero dicit.

Ratio semper, vbi haberi potest Auctoritati præferenda.

Nihil enim per se verum est, idem dicit, *nisi in quo iudicij ratio exstat.* Quæ cùm certissimas habeat veritatis notas in normis, de quibus antè dictum, certitudinis: si rectè pensitetur: fallere non potest; & necessariam progignit veritatis sequelam. Ex aduerso verò auctoritas per se nihil arguit: & ex quibus signis arguere solet: idque tantùm probabiliter, non necessariò: hæc sæpe tecta sunt in animi recessibus, & in rerum latent obscuritatibus: adeò, vt certus omninò nunquam sis ex humanæ auctoritatis testimonio. *Neque enim id statim legenti*, Quinctilianus ait, *persuasum sit: omnia quæ magni auctores dixerunt, vtique esse perfecta.*

Auctoritas sæpe fallit.

Nam

Nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati: nec semper intendunt animos, & nonnunquam fatigantur: cùm Ciceroni dormitare interdum Demosthenes: Horatio verò & Homerus ipse videatur. Summi enim sint: homines tamen, &c. Non igitur *tàm auctoritatis in disputando*, teste Tullio, *quàm rationis momenta sunt quærenda. Neque verò te moueat dicentis auctoritas*, ait Seneca: *nec quis: sed quid*, (hoc est, vt hoc in Charmide Plato explicat, vtrùm verè dicatur, necne) *dicat intendito.* Οὐ γὰρ πιστευτέον τοῖς λόγοις, ἄνευ τῆς περὶ τοὺς λόγους τέχνης, vt inquit diuinus idem Plato.

Multitudo suffragiorum.

Nihil etiam facit ad rem: quòd tot Doctores, tot retro seculis, suarum opinionum adstipulatores habuerit Aristoteles. Vt enim non dicam; ex præstantissimis etiam non paucos, omni tempore repertos: qui non iuerunt in ipsius omnes opiniones, vt in fine videbitur: (vndè Cicero, Cuius, dubio procul, iudicium fuit sat accuratum, principem quidem Philosophorum vocat Aristotelem, *sed excepto Platone*, V. de finibus) *tantum semper præiudicata potuit in illorum animis opinio: vt etiam sine ratione valeret auctoritas: cùm id simpliciter ratum sine disquisitione haberent: quod ab eo, quem probabant, iudicatum videbant*; vtque omnibus ipsius sententijs quasi addicti ac consecrati, ea necessitate constringerentur: *vt etiam, vel quæ non probare solebant, ea cogerentur constantiæ causa*, vt Ciceronis

ceronis verba sunt, *defendere*: vel primùm antè tenerentur adstricti, quàm, quid esset optimum, iudicare possent: vel deniq; infirmissimo ætatis tempore, aut obsecuti amico cuidam: aut vna alicuius, quem primùm audierant, oratione capti, de rebus incognitis iudicarent; & ad quancunq; essent disciplinam, quasi tempestate delati, ad eam tanquam ad saxum adhærescerent: vt idem Cicero dicit in Lucullo. Quod quò minùs nos, vt eundem cum ipsis errorem futiliter erremus, impellat: cùm, quod antè dictum, prohibet; tùm etiam, quod probari non solet à veritatis amantibus, id, quod de Pythagoreis accepimus! Quos ferunt: si quid adfirmarent in disputando, cùm ex eis quæreretur, quare ita esset: respondere solitos: *Ipse dixit*. Nam, vt ait Fabius, *non hoc Oratori*, nec Philosopho (quem ego subiungo propter eandem rationem) *continget inter aduersarios: quod Pythagoræ inter discipulos*. Quorum ἐχεμυθία, qua tacere quinquennium iussi sunt, & placitis præceptoris omnibus fidem dare, parum nos, nostrosque moueat discipulos. Quæ si quicquam rationis habuit: illa fuit in Mathematicis seruanda disciplinis: qui postulata quædam, & αἰτήματα sibi dari volunt: quibus tantisper credatur, donec ex eis quod verissimum est, demonstrari queat. Cæteroqùin enim, vt prudentissimus ait Plutarchus, non quemadmodum omnia

Silentium Pythagoræ improbatur.

omnia religiosè metuimus, ac reueremur in sacris: ita oportet in auctoribus omnia venerari: *sed audacter adhibito iudicio, probare quædam, quædam improbare.* Non sic parendum poëtis aut Philosophis: quemadmodum pueri obtemperant pædagogis. Sed quemadmodum Cato puer parebat quidem pædagogo iubenti: sed rogabat, quam ob causam id iuberet: ita fides habenda est auctoribus: *si causam idoneam reddiderint.* Hæc Plutarch. Immò repellatur hîc auctoritas Aristotelis ipsomet Aristotele, per aureum illud lib. 1. Ethic. Nic: cap: VI. dictum: *ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν*, hoc est, amicus Plato, amicus Socrates: sed magis amica VERITAS.

Multitudo testiũ rationi non præpollet.

Neq; verò veritatem promouet tam copiosus testium numerus: quæ non ex numero personarum: sed ex ratione fuerit æstimanda: quæ quò maior adstat alicui: tantò maior ipsi habenda fides. Et ex aduerso, si non adest illa: dicendum cum Platone in Gorgia: *non me rationibus cogis: sed falsis testibus, contra me productis, ex ipsa veritatis substantia deijcere me moliris.* Vnde Plinius sapientissimè putat: in consultationibus *non tàm numerandas, quàm ponderandas esse sententias.* Et seuerum Iust. Imperatoris dictum: *non ex multitudine auctorum, quod melius & æquius est, iudicatote: Cùm posit vnius forsitan & deterioris sententia, & multos, &*

maio-

maiores aliqua in parte superare l. 1. §. cumque hæc materia C. de vet. iur. enucl. Quò respexisse videtur Imperator Opt. ad illud Plutarchi: πολλῶν πάνυ καὶ μακρῶν περιόδων ἓν ῥῆμα καὶ νεῦμα πίστιν ἔχοντος ἀνθρώπου κυριώτερον ἡγεῖται. Ad antiquitatem verò quòd attinet, nescio quid reuerentiæ possit alicuius scriptis illa vel dictis addere. Nec enim ideò verum quid, & sanctum per se: quòd sit antiquum. Neque, vt ait Lactantius, *illi qui nos*, (Aristotelem puta & interpretes eius) *temporibus antecesserunt*; *sapientia quoque antecesserunt. Quæ si omnibus æqualiter datur, ab antecedentibus occupari non potest. Et quod ab initio vitiosum est: tractu temporis non conualescit*: vt inquit Iurisconsultus. Vtque vulgi nostri prouerbium est: quod annorum mille spacio fuit iniquum: nunquam fuit antè, nec erit posthac æquum. Cùm maiorum inuenta non vetustatis, sed veritatis pondere veniant æstimanda.

Antiquitas per se nihil largitur fidei.

Nam, vt vobiscum solis agam nunc, qui secessionem fecistis ab Ecclesia Pontificis Romana: Si auctoritas Aristotelis, & antiquitas tota, cum scholis ad hoc vsq; tempus omnibus, Peripateticæ Philosophiæ defendendæ firmum satis est propugnaculum: profectò nescio, quid Pontificum Theologis respondere possitis: qui si non fortius, certè par semper habent dogmatum suorum, ab auctorita-

te &

te & antiquitate, munimentum. Quid enim magis ipsis in ore quàm hoc: quòd Pontifex errare non possit: quòd fieri nequeat, vt Lutherus solus scripturæ sensa perspexerit: & annis ab hinc mille quingentis, Doctores, Patres, Martyres, &c. erroribus abducti & Spiritus S. donis instructi non fuerint, &c. Quid hîc? Nonne statim vobis in promtu responsio? quòd multitudo errantium non faciat, vt D. ait Hieron. errori patrocinium: quòd auctoritas hominum contra clarum Bibliorum textum nihil valeat? quòd nihilominus in Cymmerijs istis tenebris suos Spiritus S. donis illustrauerit, &c. Valeat igitur nobis idem in non dissimili causa: quòd auctoritas hominum, contra diuinum Rationis, & certissimum discursum, nihil agat: quòd omnibus seculis exstiterint, qui Aristotelis doctrinam, docendiq; rationem in Peripateticis reprehenderint.

Et, si licuit Aristoteli, sui & priorum seculorum Philosophis omnibus ac nominatim Platoni, atq; Socrati præceptoribus suis, qui sapientissimi sunt omnium Delphici Apollinis oraculo proclamati, contradicere: ipsorum sæpè, si non certissimas, certè probabiles opiniones, conuellere, ridere, & ad discipulos, vt ineptas, vt falsas, traducere: cur idem Ramo licitum non fuerit in longè meliori causa? Quippe qui sui dissensus immotas solet

let adferre rationes. Ecquod hisce viri Peripatetici pessulum foribus obditis? An in Aristotele solùm (libet enim per βίαιον Casi vestri tela in vos retorquere) omnes resederunt Musæ? fierínе potest, vt vnus homo Aristoteles in omnibus scientijs ita profecerit, vt omnes nunc duorum ferè millium homines præ illo delirâsse videantur, nihilq; ipsius inuentis addere potuerint? Certum est tot Academias, tot Scholas, tot eruditione præcellentissimos hoc & seculo priori homines: qui in Aristotelis non semper iuerunt opiniones, nec adhuc eunt; nequaquam delirâsse, nec adhuc delirare.

Et nonné magna in Diuinam Benignitatem contumelia: quòd illa soli Aristoteli Philosophiæ secreta reuelauerit: ac in profanæ gentis hominem omnes sapientiæ thesauros deposuerit: Christianos verò, & alios omnes, eiusmodi nusquam dotibus ingenij beauerit? Itáne solus perfectè sapuit Aristoteles: vt ipsius neq; corrigi scripta, neq; ijs superaddere quicquam liceat? itáne fuit vnus in rerum natura repertus, ex omni parte beatus, nulli in rebus humanis errori obnoxius? cuius omnia dicta sint oracula, aduersus quæ ne quidem possit hiscere pius homo, vtut blasphema, insulsa, futilia, inepta? Minimè, minimè!

Nemo fuit tanto succinctus robore: cui non
Viribus atq; animo contigerit potior.

Quapropter hæc auctoritatis ab Aristotele & antiquitate sumta neminem larua deterreat: quò minùs rem ipsam penitiùs scrutando, quid dixerit Aristoteles cum antiquis, & quomodo Ramus ipsi contradixerit; aduertat: & in veritatis hîc occultatæ latebras attentiùs anquirat. Veritas enim à rerum dependet cum verbis in sana ratione congruentiâ: non ab illius, qui verba protulit, leui vel graui persona. Et illud demum præceptum in Philosophia verum est: illa artis confirmatio proba: illa docendi ratio optima: non quam Aristoteles indagauit: & omnis sectariorum caterua per aliquot annorum millia propagauit: *sed quam* RATIO *sana per certitudinis normas à Deo mentibus nostris implantatas peruestigauit: quam vtilitas introduxit: quam breuitas perspicua & facilis summis vbiq; laudibus euexit: quam deniq; nullius auctoris*, vt ait Taurell⁹, OPERIBVS METIMVR: *sed irreprehensibili rationum discursu.* Hic est lapis ille Lydius, ad quem sunt in rebus humanis omnia probanda: hic iudex, cuius arbitrio caussa vtriusq; tàm Aristotelis quàm Rami decidenda: hoc summum tribunal, ad quod in omnibus est controuersijs vltimò perfugiendum, atq; prouocandum. *In rebus*, inquam, *humanis*, in quibus priùs cognoscendum, vt credas: non in diuinis, quibus credendum, vt postea cognoscas.

Ad rationis amussim dirigenda artium præcepta.

Tantùm itaq; abest, vt hoc vitio dari possit Ramo-

Ramo ac discipulis ipsius, vt maiori sit ipsi laudi, & splendidissimo Philosophiæ ipsius ornamento hoc, & futuris semper futurum seculis: quòd scilicet veritatis studio tractus è seruitute plusquam Babylonica Philosophiæ decus in libertatem vindicauerit ac restituerit: sic vt ipsum & adseclas ipsius impediant nulla certè vllius disciplinæ vincula; libentq; ex omnibus, quodcunq; se maximè specie veritatis moueat. *Libertas Philosophica.*

Quis enim est Philosophiæ status in regno Peripatetico? Philosophi non liberalium, sed artium seruilium serui sunt miserrimi: mancipia decretis Aristotelicis addicta. *Non possunt enim,* vt ait Cicero, *suum adhibere iudicium: id coguntur habere ratum: quod ab Aristotele, ad cuius vnius vtilitatem se contulerunt,* & interpretibus est scriptis traditũ: siue æquum sit, siue iniquum: siue verum, siue falsum: suos ingenij neruos extendere non possunt: suas vires periclitari in indagine veri nequeunt. Ad Aristotelis enim dicta obmutescendum: huius audito nomine ne gry quidem licet ampliùs effari. Hinc illæ sunt ingeniorum carnificinæ: hinc ratiocinationum firmissimarum torturæ: hinc optimorũ argumentorum lanienæ. Quamuis enim multoties vel natura duce videant; vel à Rameis, atque alijs validissimas obiectari machinas, olfaciant: quibus fumos Peripateticorum quorundam dispelli dogmatum facile,

non ſine animi mœrore tuentur: attamen imperio Magiſtri ſui conſtricti, ne tranſuerſum quidem vnguē auſi ſunt ab placitis ipſius ſecedere: ſed malunt, Cicerone teſte, potiùs errare: & eam, quam adamauerunt, ſcientiam pugnaciſſimè defendere: quàm ſine pertinacia, quod conſtantiſſimè dicitur à Ramo, pleniùs exquirere, vel veritati palmam dare. Hîc igitur videas, cùm vndiq; concluſi ſunt: illinc Ariſtotelis imperio: iſtinc veritatis potentia: quàm varias tentent elabendi rimas: quàm futiles nectant ſolutionum ſtrophas: quàm vagos reſpectus, vanas diſtinctiones, limitationes ineptas, exceptiones ſtultas, ampliationes caluas, comminiſcantur potiùs: quàm vt herum ſuum in praua cauſa deferant.

At verò Ramus & Ramei longè ſentiunt aliter. Qui,

Nullius addicti iurare in verba Magiſtri,

Ariſtotelem & reliquos auctores omnes, non dominos, ſed duces, cum Seneca, ſibi ſeligunt: qui libertatem ſibi ſeruant. & diſcipulis concedunt ampliſſimam: de liberalibus artibus diſſerendi, & cum ſana ratione ſentiendi, quodcunq; poſſunt ingenij acrimonia & diſcurſus acumine circumſpicere: tantoq; liberiores ſunt, & ſolutiores cæteris: quòd integram ſibi retinent iudicandi poteſtatem: neque, vt omnia, quæ præſcripta & quaſi imperata ſunt, defendant, vlla neceſſitate coguntur.

tur. Adeò vt ne Ramus quidem ſe corrigi pluribus in locis adhuc viuus ægrè tulerit: nec diſcipuli ipſius aliter in aliquibus ab ipſo ſentire, ſi manifeſta moueat ratio, turpe ſibi ducant.

Vulgatum enim illud: diſcipulum oportere eſſe credulum: vel rationem, cur ita ſtatuendum ſit, habet nullam; vel huius eſt ſenſus; vt iubeat diſcipulum rudem ac nullius adhuc iudicij placitis præceptoris adquieſcere: donec firmato per præcepta iudicio, poſſit ipſemet illorum ſecum ruminari rationem; & in eorum fundamenta, cùm in vſu, tùm in commentarijs præceptorum pleniùs & penitiùs inquirere. Simpliciter enim ſi voles id, & generaliter intelligi: diſcipulum tanquam ſeruum moroſo domino addictum, iudicio arbitrioq; carentem ſuo, inſtituis. Cuiuſmodi credulitas in Philoſophia principium & fons infiniti erroris exſtitit. Epicurus equidem non alia ratione fœdiſſimam ſuam de animæ interitu, voluptate, & incuria Deorum, ſtabilire ſententiam potuit: quàm vt diſcipulis certam de dogmatum veritate rationem reddere non cogi poſſet. Ob hanc enim cauſam Dialecticam Cicerone teſte ſuſtulit: Sic & Ariſtoteles ipſe non aliud in erroribus quamplurimis ſibi cum Epicuro commune ſumſit probationis fundamentum: quàm vt diſcipuli ſimpliciter ipſius dictis acquieuerint: cùm

Diſcipulus non debet eſſe credulus.

tamen ipsi præceptoris sui sanctissimis sæpè sententijs fidẽ dare nollet. Sic deniq; omnes omninò quorumuis Sectariorũ errores, huic innituntur inepto stultæ credulitatis fundamento. Artes itaq; non ob id traduntur puero, vt ab eo credantur; sed vt causis omnibus accuratè perspectis ingenium eius & iudicium confirmetur. Vnde Platonis illud est tertium, quod in discipulo requirit munus, vt sit ζητητικὸς, hoc est, adsiduus in quærendo à præceptoribus, huius vel illius præcepti causas, vsum, & rationes.

Vtilitas libertatis Philosophica.

Quod certè maximam confert discentibus vtilitatem: vt ita paullatim adsuescant rerum causas indagare: veritati studere: ingenium in inueniendis diuersitatis causis exacuere: & iudicium per illa disceptando sollertius, atq; liberali homine dignius, sibi conformare. Quibus omnibus carent Pythagorei discipuli seruilis ingenij: Qui cùm rationes eorum, quæ discunt, inquirere, & de dubijs indagare vetantur: fieri non potest aliter: quin socordiæ se tradant: & securè fidem dent omnibus: ingenij vires hebescant: ac iudicium nullibi sit à rubigine perpolitum. Ex quo perniciosissimum deriuatur in eos vitium: vt ad Reip. postea negocia traducti, nihil admittant; nisi quo semel ipsorum sit imbutum cerebrum: vtq; à concepta semel opinione, quamuis perplexa, & erronea, nullis omninò rationibus

bus abduci se sinant. Quo mentis vitio nullum esse, quod sit in omnibus vitæ negocijs pestilentius, historiæ satis abundè testatum faciunt. *Vtamur igitur*, ait Cicero Tusc. V. *libertate: qua nobis solis in Philosophia licet vti: Cuius oratio nihil ipsa iudicat: sed habetur in omnes partes: vt ab alijs possit ipsa per sese, nullius auctoritate adiuncta, iudicari.*

Sed hîc aliquis stentorea voce clamitabit: Ideoq; cuilibet permittes quoslibet in suo cerebro gignendi licentiam sensus? sic nulla erit artium certitudo: sic Academicam ἐποχὴν introduces: vt cuiuis liceat maiorũ scita conuellere, suaq; mentis substituere phantasmata. Quo quid perniciosius effingi poterit? &c. Bona verba quæso: Dubitare non est errores gignere. Dubitationis hic scopus est, vt scrupulum, qui nos ab adsensu prohibet, remoueamus: & meliùs edocti veritatem complectamur. Neque Rameis hoc vnquam licuit: vt nouas sibi quisque conderet artes, suas sibi quisque gigneret opiniones. Veritatis enim studiosi sunt omnes: quæ vnica est, ac simplex. Vnde fieri non potest, vt in plures distrahatur opiniones à se inuicem diuersas. Et ne quóquam tentet animus hominis à tramite recto deuius: néue dissentiendi licentia forsan abusus, quiduis innouare studeat: obstat vnica veritatis regula; quam Logica monstrat.

Limitatio libertatis Philosophicæ.

Ad hanc iubetur suum dirigere iudicium, ex hac dubitationis scrupulos secludere; cum hac, & cum ratione semper debet dissentire.

Quòd si tamen quis ita sit abnormis: vt, ostensa veritatis regula, & monstratis è Logica dubitationis euanidis commentis, pertinaciter opinionis suæ phantasma tenere malit, quàm veritati cedere: non hunc Ramei adgnoscunt: non in suam familiam recipiunt: sed fortunæ, & ventis committunt, ac vltra Sauromatas hinc à se fugare procul satagunt. Non enim sufficit, vt aliquid dicat aliquis; sed *vt defendat*, ait Cicero, *quod quisque sentiat. Sunt enim libera hominum iudicia, nullisq; vllius disciplinæ legibus adstricta, quibus in Philosophia necessariò pareant: quid sit in quaq; re maximè probabile; semper requirentia*, lib. II. de finibus.

Mera igitur hæc est Peripateticorum calumnia, quicquid in hunc sensum blaterant: cùm Ramei non concedant cuique suum sensum: sed rationis sinceræ & incorruptæ liberum cuiq; iudicium, ex solidis argumentorum deductionibus informatum: cuiusmodi multiplex esse nequit: cùm ad veritatem rei cognitu necessariæ semper contendat.

II.

Nouitas in artibus an probanda.

Aliud est, quod Ramo & Rameis, ex hoc cœno deductum, labeculę solent adspergere: videlicet, quòd nimio φιλοκαινίας & ἀψικορείας studio distineantur. Quorum illud est rerum noua-

nouarum studium: istud antiquarum tædium: vtrumq; temerè susceptum. Quæ sunt in omni vitæ genere perniciosa sanè vitia: cùm quòd vicissitudo sit omnis periculosa: tùm etiam quòd vetera plerunque meliora nouis.

Verùm nullo iure Ramo, vel ipsius adseclis iniecta: immò venenatis calumniæ telis in ipsos à maleuolis contorta. Nam si Materiam spectes Rameæ doctrinæ; vel nihil hîc, vel pauxillum certè fuit aut innouatum, aut antiquatum: quod testantur scholæ ipsius, & Audomari Thalæi in Logicen Rameā commentaria. Quæ digito quasi monstrant, nō vnum, in quolibet penè præcepto, sed plures cùm in Aristotele: tùm in Cicerone, Quinctiliano, Platone, &c. locos: è quibus sua decerpsit Ramus: & terminos maximè Ciceronis ad vnum omnes retinuit. Si verò Formam: sanè sunt hîc inuersa, sunt auersa plurima: sed hoc non, nisi ex antiquitatis, & ipsius Aristotelis ac sapientissimorum virorum cùm decretis tùm exemplis. Vt enim præcepta, quoad fieri posset humanitus, ad veritatis, iustitiæ, & sapientiæ normam redigerentur; adserunt Aristoteles, & Galenus: vt ordo in ijsdem seruaretur explosa confusione: omnes omninò clamitârunt Philosophi: dictitauit ipsamet Natura. Nouatum igitur non est, quod ex antiquitatis principijs exstructum: antiquatum non est;

Rameana sunt noua.

quod ijſdem iubentibus eſt ex artibus abie-ctum, vel ſecretum.

Et eſto ſanè: quòd antiquis ſpretis induxe-rint noua Ramus, & ipſius adſeclę. Quid tum? non ſine ratione fecerunt: quòd tot annis ab-hinc XXX. & amplius, editis oſtendêre libris. Renouârunt multa: quia vel à priſtina, per abuſum, formâ degenerauerant: vel ruino-ſa, & vitioſa erant. Abiecerunt plurima: quia nec hominibus vtilia: nec legum nor-mæ congruentia fuerunt. Inuerterunt non pauca: quia præpoſtero ordine tunc erant ab inuentoribus primis hinc indè compilata. Cur igitur huiuſmodi noſtris, ô viri Peripa-tetici, labeculas adſpergitis? cùm ex Ethicis conſtare vobis poſſit: introducere res nouas: & remouere veteres: per ſe culpabiles non eſ-ſe conatus. Nouum enim non ideò repudi-andum, quia nouum: nec antiquum retinen-dum, quia antiquum. Sed ita demùm, ſi il-lud fiat *temerè*; ſine ratione probabili: ex leui-tate: cum detrimento alterius: iſtud verò, cum ſincero iudicio, quod melius ſit nouis ſi-ne ratione inductis.

Cum ratione ſunt à Ramo quædam nouata: quædam antiquata.

Hoc verò cùm probare non potueritis huc vſq;: immò rationes euidentiſſimæ, & vtili-tates ſtudioſorum immenſæ perſtringant vo-bis oculos: illud tantùm obgannitis: nihil eſ-ſe innouandum: in antiquis perſiſtendum. At ex vulgi feculenta fece, ne neſciatis: non

ex So-

ex Sophiæ penetralibus hæc, si Dijs placet, axiomata. Nonné vester Aristoteles innouauit, abiecit, addidit, & inuertit infinita Philosophorum sui & seculorum ante se theoremata? nónne ipsius scripta tum fuêre noua? nónne veterum Philosophorũ doctrinas antiquauit, & suppressit? Anné idcircò non fuerunt accipienda scripta Aristotelis; quia noua: quia vetera spernebant? Dicere profectò non vultis. Cur igitur quod illi tùm licuit: id Ramo paribus in causis non licebit? Nónne fecit idem Dn. Philippus sui temporis Philosophis, & præceptoribus suis? Si D. Luthero & alijs innouare, & antiquare plurima nefas fuisset: vbi vestra quæso, qui secessistis ab Ecclesia Pontificia Religio? Si Iustiniano persistendum fuisset in veteribus LL. scitis; ubi iuris Institutiones, vbi Codex, vbi Nouellæ viuerent? Obiectabis hîc, (aliter enim non potes effugere:) alia fuit horum ratio. Dogmata puræ Religionis tunc erant corrupta: status Imperij tunc alias poscebat leges: iuris præcepta ad immensam multitudinẽ excreuerant: Philosophia multorum vanis opinionibus & nugiuendis quæstiunculis erat deprauata.

Falsum, quod dicitur: nihil innouandum.

At ego dico, planè similes, si non maiores, Ramo causas obuenisse: cùm dogmata Philosophiæ partim falsa, partim inutilia, partim verò distorto modo compilata fuissent:

ſent: neceſſaria multa abeſſent: ſuperuacua verò ſuffarta plurima: omniſq; philoſophandi ratio ab vſu omni in peſſimum degenerâſſet abuſum: quod ſuprà demonſtratum multoties fuit. Sed cuius tamen auctoritate nititur hoc emblema veſtrum: vetera retinenda, quia vetera: noui nihil admittendum, quia nouum? Cicero equidem in Lælio dicit: *veterrima quæq; dicuntur eſſe ſuauiſſima.* At non ſimpliciter ita: Sed mox ſubiungit: *nouitates tamen repudiandæ non ſunt: modò vetuſtas ſuo loco conſeruetur.* Sic Iuriſconſultus ait: *etſi nihil facile mutandum eſt ex ſollennibus: tamen vbi æquitas euidens poſcit, ſubueniendum*, l. 144. D. de Reg. iur. Nimirùm eò tendunt omnia, vt nouitas non omnis, ſed temeraria tantùm ſit repudianda.

Hoc autem quòd etiam in artium conſtitutionibus, de quibus hîc agitur, obtineat: non modò Ramus, & ante Ramum Rodolphus, atq; Valla: ſed ante annos fermè bis mille σύγχρονος Ariſtotelis teſtatus eſt Iſocrates; in orat. de Euagora: τὰς ἐπιδώσεις ὁρῶμεν γινομένας, καὶ τῶν τεχνῶν, καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων, οὐ διὰ τοὺς ἐμμένοντας τοῖς καθεστῶσιν: ἀλλὰ διὰ τοὺς ἐπανορθοῦντας, καὶ τολμῶντας ἀεί τι κινεῖν, τῶν μὴ καλῶς ἐχόντων, hoc eſt, artes & omnia cætera videmus aucta, non *per eos, qui vſitata retinuerunt*, ſed eorum opera, *qui correxerunt, locoq; mouere praua* omnia non dubitârunt. Arrige aures Peripatetice Philoſophe, & expende tecum ex hoc Iſocratis

tis iudicio, vtra Sectarum maiorem in artibus constituendis operam locârint: illíne qui vsitatis insistunt, & ea mordicus tenent, vt vos: an verò qui corrigere, restaurare, & loco mouere, quæ sunt inutilia, sunt ausi: quo crimine vobis nostri sunt infames.

Quòd si displicet auctoritas, quam tamen aliâs vnam, & penè solam nobis opponit Academia vestra machinam: age tecum ferrumina quæso vel hunc etiam bolum: Si non licet Aristotelicis addere, vel in ijs innouare, aut ab ijs remouere, quod scitu necessarium, deprauatum, vel superuacuum videtur: hoc mihi concesseris, quòd perfecta sit Aristotelis Philosophia, maximè verò Logica: de qua litis pars valde maxima. At falsum consequens omninò: quod non modò Ramus, & anteac post ipsum plurimi demonstrârunt acriter: sed etiam natura suggerit. Non ex eo duntaxat, quòd illa perfecti nihil in hoc orbe cognoscit: sed etiam quòd, cùm ex Peripateticorum sententia sit Aristoteles auctor & inuentor, cùm reliquarum Philosophiæ partiū, tùm Logices præcipuè: Licèt cuiusq; rei principium potissima pars sit: nihil tamen & festinatum simul sit, & examinatum; neq; à quo fuit inchoatum, quid ab eodem simul & absolutum. Cùm nihil in rerum natura sit omnium: quod se in vniuersum profundat, & quod totum repente euolet, Tullio teste: &

primor-

primordia rerum omnium parua ſint, eodem teſte, quæ ſuis vſa progreſſionibus augentur.

Quapropter quòd Medicis omni tempore permiſſum fuit, vt Hippocratis & Galeni ſcitis ſua adijciant inſuper experimenta, multáque corrigant, hoc præſertim ſeculo, renouentq́; : quòd item Iuriſconſultis, vt alter in alterius reſponſis aliquid addat, demat, vel quoquo modo conuertat, ac poſterior ætas prioris vel rigorem vel languorem redarguat: cur idem non in regno Philoſophico conceſſum ſit: vt, quæ temporis, cuius filia veritas aptiſſimè dicitur, progreſſu commodiùs diſcuſſa ſunt, & reperta ſtudijs iuuenilibus aptiora: veteribus addere, & artes hac ratione meliores indies excudere quouis iure liceat? Scitum quippe, quòd vulgò fertur: δεύτεραι φροντίδες, &c. Nam ſi, cordate Lector, hoc paullò preſſiùs tecum continueris; quî fieri poteſt: vt ſine indignatione, vel admiratione tam iniquè comparatã rem diſcernere queas. Quippe prodierunt in Medicâ paleſtrâ viri vndiquaq; doctiſſimi; quorum Coryphæi, Scribonius Germanus, atq; Brigthus Anglus: qui, quod Ramus in Logica conatus eſt, idem in Phyſicis, & in arte Medica tentauerunt. Prodierunt in iuris diſciplina, cuius tamen ratio tradendi Cęſarea fuit auctoritate ſancita, Doctores clariſs. inter quos emicant I. T. Frei-

gius,

gius, Herm. Vulteius, Ioh. Althusius, &c. qui, ad exemplum Rami, suæ professionis dogmata conformare, & Imperatoriam planè conuertere formam sunt ausi. Nulli tamen huc vsq;, quod ego sciam, prodierunt ex horum grege, qui in vtrauis id studium facultate vellicauerint. De Iurisconsultis certè tantùm abest, vt hos omnes, maximè Vulteium & Althusium, Iurisconsultorum præcellentiss. quiq; magnis ad cœlum laudibus euexerint, & cateruatim huc vsque vijs ipsorum institerint. Soli verò Peripatetici Philosophi, tanquam Canes in præsepio, sunt inuenti nostro seculo: qui libertatem cum ratione iudicandi supprimentes, seruitutis vesanæ iugo grauissimo colla sua subdere non timuerunt: & sic, qua non possunt ipsi frui, nec alios eius participes fieri concedunt. Cùm enim Natura vires vnicuique ratione vtendi, dispari licèt gradu, tribuens, palmam in medio posuisset: quam consequi posset is, qui, periculum in litteris faciendo, maiores, vel pares in artium constitutione superâret: isti homines hanc potestâtem dijudicandi in vnum contulerunt Aristotelem: vt ipse iudicij omnis, & omnis doctrinæ, atque sapientiæ regula staret: quamuis à ratione, vel mille passibus aberrâsset. Ex quo factum, vt nemo aliquid proferre vel iudicare possit in studijs: quod Aristoteles non protulit,

atque

atque dijudicauit. Quod quàm ſit impium: quàm ab omni ratione abſonum: quàm perniciosum: quàm ſtudijs peſtiferum iuuenilibus: ex ſuperioribus Lectori candido conſtare poteſt: & exſtat doctiſſima de hac re Lud. Viuis lib. 1. de cauſ. corr. art. pag. 32. mihi. Item lib. 5. pag. 161. contra Ariſtotelicos diſceptatio: quò Lectorem dimitto.

Quamobrem quicquid inuertit, innouauit, abſcidit, ſuſtulit, adiecit & commouit in regno Philoſophico Ramus: id reprehendere Lector candide noli: niſi certò tibi conſtiterit: id quod additum eſt, inutile: quod innouatum, veteribus deterius: quod deniq; abiectum ſtudijs neceſſarium fuiſſe. Conſtabit autem hoc tibi, non ex huius, vel illius auctoritate: ſed ex incorruptis, & in logica delineatis, Rationis decretis. Secus ſi feceris eodem, quo capti ſunt illi delirio, deceptiq; inſcitia, captus atq; faſcinatus teneris. Nam, vt inſigniter Taurellus, egregius & dexterrimi iudicij, liber Philoſophus; *ſtupidiſſimi ſignũ eſt ingenij, vel pertinacis etiam imperitiæ, ſi, quod ab inexhauſta repugnauerit opinione, ſubitò quis abiecerit.*

At obijcies iterum: Quid opus autem mihi pręceptis Rami; cùm & ego, & maiores noſtri ante Ramum in ſtudijs non mediocres, immò plurimi longiſſimos fecerimus progreſſus? Quid opus autem ego tibi regero, cùm Imper. Iuſtin. in præfat. Inſtitut. prima Philoſophiæ

cuna-

cunabula, ex immenſis Ariſtotelis, vel interpretum ſcriptis, in quibus inutilia ſunt multa, multa perperam poſita, multa quæ non obtinent in ipſis rerum argumentis, vix X. vel X V. immò XX. annis exhaurire: quæ ad filum P. Rami, prætermiſſis inutilibus, per iuſtos veræ ſapientiæ tramites, ſex, vel octo annis addiſcere potuiſſes? Nónne meliùs Romam abituro viâ progredi regiâ, & XX. diebus ſine difficultate curſum abſoluere: quàm per inhoſpita teſqua, per ignota, lubrica, & intuta locorum, L. diebus immenſo cum labore ſi peruenias eódem? Puerilis igitur hæc eſt è triuio petita machina: qua tamen non vulgariter eruditi ſæpè nobis inſultare ſolent.

III.

Tertio loco celebrem habent illam, Peripateticorum, qui ſunt acutiſſimi, haſtam contra Ramum vibratam; de legibus artium conformandarum: κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ: & καθόλου πρῶτον: Quòd, cùm Ariſtoteles illas voluerit eſſe axiomatum demonſtrationis Syllogiſticæ ſymbolas: Ramus ad artium præcepta notas haſce furioſâ, ſicut ipſi loquuntur, mente traduxerit. Qua de re Saltzhueberus quidam contra P. Ramum octerniones ſex, leuibus nugis, & calumnijs ita craſſiſſimis diſtentos, ante paucos annos edidit: vt, licèt ab acerbitate me abſtinuerim huc vſq;: continere tamen hîc me non poſſim, rei permotus indi-

De legibus artiũ tribus.

Saltzhueberus.

gnitate: quòd homo Christianus Christianum, tàm impudenter, ferociter, & calumniosè traducere non erubuit; ob hanc solummodò causam: quòd Ramus, ad præceptorum in artibus requisitam formam designandam, notas hasce traduxerit: quas Aristoteles demonstrationis solummodò propositionibus attribuisset. Proh hominum fidem! quid audio! tantíne næuus hic (si næuus est: quæ in specie tradita sunt, ad genus, vel aliam generis eiusdem transferre speciem) est precij: vt cœlum & terra miscenda: vt propter hunc omnia Rami scripta funditus extirpanda? non arbitror. Sed omissis nugiuendorum hîc hominum altercationibus, rem ipsam, de qua lis est, videamus.

Virtutes artiũ quæ debeant esse.

Ex artis definitione constat, præcepta ipsius esse debere veritatis, iustitiæ, & sapientiæ virtutibus exsculpta. Quæ virtutes cum laterent, sub demonstratiuæ propositionis notis, quas Aristoteles in analyticis proposuerat: non inconueniens arbitratus est, P. Ramus, si maioris euidentiæ & auctoritatis gratiâ, virtutes hasce symbolis his insigniret. Quo facto, cùm virtutibus istis tribus, tanquam firmissimis telis, præcepta sua communiret: nec haberent aduersarij, quod cõtrà ponere quirent stolidi homines à scopo transilientes, quia negare non audebant, quin virtutibus his præcepta deceret esse condecorata: ab ἐρ-

γοις

γοις ad πάρεργον eunt: & magno fastu, distentoq́; spiritu disceptant, eiusmodi Græcorum notas hoc non velle: quæ de certa specie propositionũ sint ab Aristotele dictatæ. Verùm quid dices: si planè sequatur hoc ex mente Aristotelis? qui sibi proposuit in posterioribus analyt. describere Logicam, quæ sit artifex omnium artium cæterarum. Huius autem artis eiusmodi pręcepta cõformat. Vnde, quòd generales hę notę sint, & ad reliquas artes conferendæ, si modò logica generalis est, necessariò consequitur. At dices: Aristoteles propositionib⁹ apodicticis tantùm attribuit. Benè. Sed vbi, quæso te per Musas Logicas, apodicticæ propositiones magis sunt, quàm in artibus necessariæ: quæ regulæ debent esse veritatis indubitatæ? Nusquam sanè. Non oratores, non poëtæ curant eiusmodi in suis sensibus ἀκρίβειαν. Soli igitur Philosophi, & qui in artibus conformandis sunt occupati.

Quod licèt his & similibus, accuratissimè sit hactenus, cùm ab ipso Ramo, cõtra Schegkium, principẽ huius seculi Peripateticorum: tùm ab alijs, rationibus displosum: attamen si tibi dare cogerer hoc: quid obtineres, mî Peripatetice Philosophe? Quòd si enim ferre non potes istas Græcorum notas (in ruborem enim daret hoc Aristotelicos, si ipsiusmet Aristotelis armis aduersarius esset instructus) hisce præceptorũ virtutibus adsignari: quan-

tum per me licet, tibi relinquam notas, vt rem notatam mihi nihilominus retineam. Non enim credo tàm perfrictæ frontis esse quenquam ex grege vestro: qui neget: præcepta artiũ, quæ regulæ veritatis sunt, & rectissimorũ iudiciorum normæ, quantum fieri potest, esse verissima, siue apodictica debere: in suis item confinijs posita; & pro naturæ claritate iusto ordine disposita. Cuiusmodi enim ars esset: quæ falsis constaret præceptis: quæ aliena, & nihil ad rem pertinentia commisceret: quæ confuso compilasset ordine pleraq;? Certè nulla. Quòd si itaq; hæc negare non potes: hoc etiam minimè negabis: quòd præcepta debeant esse vera; iusta, hoc est, non aliena: sapientia; hoc est, ordine locata. Et non etiam negabis, quod huic est consequens: quæcunq; artes ad huiusmodi præceptorum formam propiùs expressam processerint: illas esse reliquis præferendas. Tu itaq; explica, & implica, torque, & contorque tuum κατὰ παντὸς, καθαυτὸ, &c. quocunq; libuerit modo; tibiq; cum Aristotele communia tantùm, si libet, vindicato: nobis illud, quòd præcepta artium debeant esse vera, iusta, & sapientia, aut relinquito; aut huc contortis armis auferto. Hîc Rhodus: hîc salta. Interim de Lectore candido non dubito, quin eiusmodi malit artis formam: quàm quæ falsa, aliena, & variè turbata nobis præcepta obgannit.

Quòd

Quod si exprobraueris: nō omnia sic conformari artis posse theoremata: Responsum tibi do: quod de virtutibus dari solet: quæ definiuntur, nō ἐκ προσθέσεως in concreto: sed ἐξ ἀφαιρέσεως in abstracto: hoc est, non quales sunt in nobis: sed quales meritò debeant esse, per se, & intra se conspectæ. Sic enim artium forma debet omnium præstantissima prescribi: quamuis eam non vsquequaq; describere mens humana queat.

IV.

Breuitatem qui solent & obscuritatem nobis exprobrare, non pauci sunt reperti. De obscuritate reclamat res ipsa: quòd & verba præceptorum per se clara sint: ac vtilissimis, & planè notissimis, ex classicis auctoribus, de vitæ communis negotijs, exemplis declarata: & discipuli Ramei Logicen, cum Rhetorice, feliciter intra semestre condiscant, & intelligant: alijs quadriennium, vel amplius in eadem desudantibus. Immò, quod suprà dictum, popularem facilitatem, & quòd citiùs addiscantur Rami, quàm Peripateticorum artes, fatentur ipsimet hostes omnium acerrimi. *Salzhueb.* *Scherb.*

Breuitas est artium virtus nobilissima: quæ vitio dari nequit: nisi, necessaria quæ sunt, omittat. Id quod nusquam fuit hactenus à Peripateticis ostensum. Quocunque enim tot voluminibus deuoratis, tot libris sæpiùs co- *Vrsinus.*

ctis, & recoctis Peripateticorũ discipuli, iuxta vulgatam tradendi viam progredi possunt in studijs: eódem breuissimis Rami libellis semel atq; iterum relectis, vsuq; confirmatis, Ramei diligentes & bene informati cõscendere possunt, experientia teste. Quippe

Vnus frugiferâ decerptus ab arbore RAMVS
Commoda plura tibi dederit: quàm mille malignis
Arboribus pleni, fructuq; carentibus horti.

Quod verè vir opt. Georg. Ensleus, olim Duc. Brunouicens. Præceptor, vt hæc scribenti vir magni nominis in hac Repub. nostra suggessit, cecinit.

V.

Excusatur vehementia Rami, in Aristotelem. Vnicum est, quod semper in subsidium ab Antagonistis nostris quasi succenturiatũ sedens prouocatur: quòd P. Ramus Aristotelem multoties in scholis suis (nam in alijs partibus, vbi fixo vestigio scribit, illum, vt doctum interpretem admittendum putat Ioh. Casus Peripateticæ familiæ nobilissimus Patronus) præter modum fuerit insectatus: & sæpe quid grauius in eum dixerit. In quo nuper Daniel Cramerus Vitebergensium Philosophus sibi palmarium reperisse visus est: quò studiosis istius Academiæ Ramum redderet exosum. Verùm leue vulnus hoc est, ô bone! quod ex ἐπιεικείᾳ Christianâ, pensitatis rerum, quibus exstimulatus fuit heroici vir ingenij, circumstantijs, æquus controuersiæ huius arbiter,

In præfat. Logices.

Dan. Cramerus.

biter, malagmate leniori adhibito, facilè sanauerit. Primum enim hæc est impetus heroici, qui fuit ad vindicandã Philosophiæ sinceritatem permagnus in hoc viro, natura; vt semper communium virtutum superet inculpatè modum; nec vel ad regulares harum possit actiones dirigi; vel terminis ijsdẽ circumscribi. Cuius rei exempla sunt in excellentis ingenij passim viris, & heroicis naturis obuia. Vnicum de D. Luthero libet commemorare: cuius auctoritatem Cramerus in isto loco defugere noluerit. Huius enim si in disputationibus acerbitatem, & in redarguendis aduersarijs vehementiam, velis ad communem sensus nostri captum dimetiri: profectò, quamuis mitissimè velis dicere, nimis tamen in scriptis suis, maximè Eristicis, feruidum, nimis iracundum, nimis denique inconsideratè locutum fuisse fateri cogeris. Verùm, vt longè se res habet (absit enim à tanta Viri spiritu Dei afflati reuerentia) aliter in isto: sic in illo causæ sunt, cur eodem possit excusari modo, similes. Vt enim auctoritatem Aristotelis, quæ tunc temporis apud misellos Sorbonistarum Peripateticos diuinam, Erasmo teste, vim probationis adæquabat, paullum diminueret: malo nodo fuit malus, vt aiunt, cuneus quærendus: paulloque liberius aliquid in Aristotelem dicendum: vt quæ animis hominum radicitus inhærebat, de indu-

bitata sinceritate præceptorum Aristotelicorum opinio, paullatim conuelli posset. Hic sicubi fortassis exarsit vehementiùs: præterquam quòd humanis erroribus, à quibus immunem non facimus ipsum, possit hoc adscribi: hoc insuper perpende, quæso bone Lector: quàm splendidas istius ardoris Aduersarij faces ipsi subministrauerint: cùm propter veritatis Philosophicæ professionem aqua & igni ipsi interdicerent: &, quantum per ipsos stetit, ad necem poscerent atrocissimam: quámq; verum sit, in huiusmodi casibus: quod C. Cassius Senator & Iurisconsultus Romanus apud Tac. lib. XIV. in oratione quadam tenuit & obtinuit: *habet aliquid*, inquit, *ex iniquo omne magnum exemplum: quod contra singulos vtilitate publica rependitur.* Extra has enim causas certissimum est, nihil isthoc homine mitius, humanius, & comtius exstitisse: vel ipsis hostibus testimonia ferentibus. Quorum, si nulla dari quirent: luculentus esset testis, illa, contra Schegkij Tubingensium Philosophi feroces & amarissimas chartas, tam placida, tam mansueta responsio: ac si ipsi cum amicissimo res esset.

Sed ita proh dolor inter nos comparatum est, vt non videamus manticæ, quod in tergo est. Quid enim Aristoteles Platoni fecit, præceptori suo: cuius veras validasq; definitiones quoties sauciare tentauit, Macrobio l. II. in som.

in ſom. Scip. c. XV. teſtante? Quid quæſo vos P. Ramo facitis, quos ne verbo quidem læſit? Deum! Si Ramus ita vos tractâſſet, vt ipſum tractârunt maiores familię veſtræ: vah! non ſæuidictis tantùm, & atrociſſimo minarum fomite ſuccenſis, quod iam facitis, ipſum protelaretis inuectiuis: ſed inſuper necem, crucem, funes, gladios, & ignes intentare volupe vobis eſſet.

Verùm enimuerò quid eſſet, ſi leuiſſimi huius erroris, ex vehementiore mentis adfectu, reus à vobis peragi poteſſet? quocunque tandem ſpiritu ductum tractúmue calumniando velletis hariolari: dogmata tamen hinc ipſius in artibus omninò vel eneruare, vel ad Orcum condemnare qua ratione quæſo liceret? Et ſi Ramus id egit: cur ipſius in eadem culpa ponitis diſcipulos: quorum vix vllus in Ariſtotelem ſcripſit: qui ſummo cum ſtudio præceptoris ſui dogmata ad fontes Ariſtotelicos referre conati ſunt huc vſque? Quamobrem nolite, candide Lector, hac Aduerſariorum deterreri techna: quò minùs huius viri dogmata legas, & intelligas. Quòd in Ariſtotelem animaduertit, id iure fecit; & Philoſophorum præſtantium cuiuſuis ſeculi exemplo: ſicut infrà pleniùs pateſcet. Quòd verò paullò fuit acrior in animaduertendo, ratione non caret: vt modò dictum: & ſi fortè careret: humanus hic error eſſet, & valde

leuis: qui nec reliquam ipſius vitam, nec dogmata ab ipſo tradita, inficeret. Cæteroquin nemo fuit ipſo placabilior, nemo aduerſus tot hoſtium contumelias tolerantior: nemo in ſcriptis Ariſtotelis euoluendis & dijudicandis exercitatior, operibus ipſius atteſtantibus. Nec enim tam precioſa viri iſtius in plurimis Philoſophiæ partibus theoremata ſuppreſſit, vel neglexit, vt calumniantur maleuoli: ſed magni fecit: in lucem protulit: in ordinem digeſſit: & ad vſum tranſmouit illa, quæ Rationi veræ, quæ ſola Philoſophiæ mater eſt, Taurello teſte, & vſui hominis, propter quem reperta, conſentanea fore, diuturno labore compertus eſt: reliqua verò partim planè neglexit: partim verò correxit, & in integrum reſtituit. Idque non ſolùm ad exemplum ipſius Ariſtotelis in trito prouerbio: amicus Plato, &c. de quo ſuprà: & Galeni Medicorum præſtantiſſimi, qui ſe nulla hominũ genera magis odiſſe dicit, ijs, qui ἐν τῇ περὶ τὰς αἱρέσεις καταστᾶσι μανίᾳ, hoc eſt, qui certæ cuidam ſe ſectæ prorſus conſecrârunt: omnium deniq; rectè philoſophantium: ſed etiam SS. Scripturæ iuſſu per Apoſtolum promulgato: δοκιμάζετε πάντα: καὶ τὸ καλὸν κατέχετε.

CALVMNIAE PECVliares.

Et hæ ſunt, quibus omnes vti promiſcuè ſolent,

ſolent, calumniarum gemmæ, præ cæteris inſigniores: aliæ reſtant, quas aliqui tantummodò conſueuerunt vſurpare, non minùs & mendaces, & peſtiferæ. Quarum princeps eſt illa, quòd vitæ noxijs erroribus Rami Philoſophia ſit obnoxia: quodq; viam quibuſuis ſternat hæreſibus in negotio Religionis noſtræ.

Hîc vide, Lector bone, quis horum ſit, qui ſic inſigniter impudẽtes ſunt calumniatores, animus: quæ frons: qui ſenſus. Nam cùm dogmata Rami vera ratione diſpellere nequeunt: &, magno cũ iuuentutis applauſu, maiore fructu, maximo cũ progreſſu, perdiſci, dolenter adſpiciunt: vltimum à calumnijs refugium petunt: vt ſic à ſuauiſſimo melle, quaſi fel ſubtus lateat, adoleſcentes arcere ſatagant. Religionis enim cùm ſanctum ſit verendumque nomen; nihil ad arcendum ab hac doctrina fuerit efficacius, apud Idiotas, & rerum imperitum vulgum: quàm ſi metum huiuſmodi, quòd ex huius Philoſophiæ lectione ſemina pernicioſarum hæreſium animis inſtillentur occultè, poſſint ipſis incutere. *Ramea ſcripta nullis erroribus obnoxia.*

Quid igitur huic obijciendum ſpiculo? nihil aliud, quàm, ad exemplum Seruatoris noſtri, bona conſcientia, & innocentia doctrinæ: quæ bonis ſufficit: donec aduerſarij contrarium probauerint. Nullius enim erroris, nullius hæreſeos, vitæ hominum pernicioſæ, fuit

fuit hucusque Rami philosophia conuicta. Prodeat in lucem, qui vel vnicum monstrare possit, in omnibus ipsius rerum Philosophicarum scriptis: quod vel Theologiæ sit infestum; vel publicæ tranquillitati noxium: vel priuatæ hominum societati damnosum. Nihil hîc: nisi fortè grande nefas illud, & morte piandum, scilicet, protulerent: quòd inane, & in Dei opt. max. creationem blasphemum de Principijs in acroasi Physica somnium deriserit: vel Metaphysices inutilem & impiam magna ex parte doctrinam sustulerit: vel deniq; prædicamenti Substantiæ & Accidentis (quæ tristes diuisio peperit patrum memoria discordias in Religionis negotio) & aliarum particularum doctrinam suas in sedes remiserit. Huius autem ille rei rationes dedit adprimè stabiles: quas si retuderitis, postea redite.

II.

Ramũ nihil habere, quo Caluini dogmata plus, quã ex alijs Logicis probari queant.

At mane: aliud est, quod inerti vulgo Peripateticorũ quorundam vulgus insusurrat: videlicet, Caluini & similium, qui diuersum in negotio Sacramenti sentiunt ab Ecclesijs nostris, opinionum semina per Rami Philosophiam dispersa: vnde videamus multos indies expullulare Caluinianæ sectæ surculos: adeò, vt omnis fermè Rameus sit Caluini dogmatis studiosus. Vt ingenuè proferam, quod sentio: nunquam mihi persuaderi passus fuissem: paullò doctiores huiusmodi se gerris oblecta-

lecta-

lectare: quas putâram aniculis ad colum, vel vilissimæ plebi aliquando inter congerrones excidisse: nisi pro certò compertum haberem: & hos, qui Cathedris Peripateticæ Scholæ vel insident, vel proximè adsident, has nugas in vulgum, sed tamen inter priuatos sermones, idq; in aurem, tanquam rei arcanę mysterium (quia enim tàm crassum est, & fœtidum mendacium, non audent id publicè proferre) dispergere solere. Quos, quicunq; sint, aut extremè maledicos, aut stupidissimè rerum ac Religionis ignaros esse, necessitas, vt credam, postulat. Nam si Ramus in Philosophia sua Caluiniani dogmatis semina dispersit: monstra quæso locum mihi Aristarche Peripatetice: in Dialecticis? ne littera quidem in his, quę sacræ scripturæ propria: continet enim, quod Philosophum decet, intra suos se terminos: & nihil penitus in illâ, quod non ad vnguem sit ab alijs antè, maximè Dn. Philippo discussum, & exquisitum. In scholis multò minus Physicis, nec alijs: vbi filum sequitur, & Aristotelis contextum. Si tamen est alicubi locus, quem mihi nō monstraueris in æternum: vndè quæso Zuinglius, Oecolamp. Bucerus, ipsemet etiã Caluinus hauserunt dogmata sua: quorum nullus, credo, Ramum vidit, nec ipsius scripta legit. Quid opus in re manifesta verbis? nónne Th. Beza in epistolis suis anathematis quasi fulmine Ramum non semel percus-

percussit? nónne Zachar. Vrsinus ipsius doctrinam furenter est exsecratus? Ex aduerso verò: nõne reperti nuper sunt insignes Theologi, qui se Ioanni Piscatori, & alijs, instrumento Rameæ Philosophiæ, suos, de controuersia Sacramentaria; sensus demonstrare volentibus, opposuerunt, eiusdem Philosophię viribus armati? Nónne D. Hoffmannus, Theologus huius æui clarissimus, ex Rhetorica Rami doctrina, cum Piscatore nuper est acriter congressus? Quem subsecutus est in eodem prælio, non imparibus armis, acutissimus Heizo Buscherus? Quid dicam de Caspare Pfaffradio Rameorum in Saxonia doctissimo? attamẽ hîc publico Ducis Brunonij Stipendio aduersę Caluino partis in illustri Iulia defensor est acerrimus. Vnicum adhuc ex te, vir bone, quæro: Si Rameæ fertur acceptum disciplinę: quòd hæc controuersia de negotio Cœnæ recrudescit indies: vnde suas decerpserunt in hac opinione cõmentationes omnes illi, qui ex schola D. Philippi Vitebergensi prodierunt, annis ab hinc XX. & amplius, Caluiniani dogmatis adsertores pugnacissimi, & tamen ad vnum omnes γνήσιοι, & intimi D. Philippi discipuli. Inter quos celebriores fuerunt, & ex parte sunt adhuc: Victorinus, Videbramus, Peucerus, Pezelius, Henr. Mollerus, Hemmingius, Crucigerus, Iun. Crellius, Ioan. Maior, Voitus, Pierius, &c. Hi
non

non aliam quàm D. Phil. Philoſophiam nouerunt, & publicè profeſſi ſunt. Ergò ipſius Dialectica fuerit tantò magis erroribus huic & ſimilibus obnoxia: quantò maior & celebrior diſcipulorum Philippicorum, qui in Caluini caſtra ſeceſſerunt, turba. Quod cùm nolitis concedere: pudeat vos: & iterum pudeat tam craſſi, tam ſtupidi, tam exſecrabilis, & inſulſi, quod ſoletis vulgi animis inſuſurrare clanculum, mendacij. Quòd ſi nobis eiuſmodi gerris & technis Ariſtotelem veſtrum liberet traducere: quantò verior & melior cauſa eſſet à Scholaſticis, qui ſic vocantur, Theologis depromenda. Vnde enim ſuis obſcuris & perplexis quæſtionibus puritatem & ſimplicitatem Theologię fœdiſſimè conſpurcâſſent illi: niſi vana ſubtilitatum fuiſſet ipſis materia ab Ariſtotele monſtrata. Quem tantifecere, vt penè totam Theologiam non incommodè ex putidis eius lacunis exhauriri potuiſſe ſatis impudenter vulgo ſimplici perſuaſerint: vt teſtis locuples eſt D. Philippus paſſim in ſcriptis ſuis: adeò vt hoc axioma ſtatuerint; Neminem Theologum fieri poſſe ſine Ariſtotele. Cui quod oppoſuit Apophthegma Dn. Lutherus piæ memoriæ? Vultin' dicam viri Peripatetici: Nemo Theologus fieri poteſt: niſi id fiat ſine Ariſtotele. Capite vobis hoc etiam.

III.

D. Phil. à Rameis nō contemnitur.

Alij paullò verecundiores hoc exprobrare nostris solent: quòd D. Philippum, lumen illud incomparabile Germaniæ nostræ contemnant, ipsiq; contradicant. Quòd si Ramum rodunt hîc ipsum, mendacij sunt iterum rei: quippe qui ne gry quidem D. Philip. scriptis obiecit: sed ipsum propter excellentem tàm virtutem quàm doctrinam in summo semper honore habuit, vt de se testatum reliquit ipse lib. II. Schol. Mathem. *Vitebergam equidem*, Ramus inquit, *Melanchthone fortunatam iudico. Plato pro summa eloquentiæ & eruditionis auctoritate Mathematicum studium in Græcia excitauit: Melanchthon in plerisq; Germaniæ Academijs iam mirabiliter excitatum reperit: sed Vitebergæ perexiguum. Itaq; pro variæ & multiplicis doctrinæ, pro vitæ innocentioris & sanctioris auctoritate, quantam, meo quidem iudicio, nemo Doctor vel Professor in patria consecutus est vnquam, mirabiliter inflammauit, vt Viteberga non solùm Theologiæ & eloquentiæ, quibus laudibus tum præcipuè præstabat, sed Mathematicæ disciplinæ studijs antecelleret.* Idem paullò pòst: *Dixi paullò antè Melanchthonem in ora Saxoniæ Mathematicis studijs excitandis Germanicum Platonem fuisse.* Hæc Ramus.

Si verò discipulos ipsius, vt videtur, vellicant: de *contemtu* quod dicitur, grauis & hæc calumnia. Quotquot enim fuerunt hucusq; Ramei, publicè noti; nusquam, nisi perquam hono-

honorificè, D. Philippi meminerunt: & id operam dant omnes: vt Dn. Philippum ex Ramo, & hunc iterum ex illo clariorem atq; illustriorem reddant: adeò vt fermè nihil in Rami præceptis, & principijs sit: quod non alicubi D. Phil. & senserit, & apertè scripserit. Vt non immeritò D. Philippus ætate prior Ramum de multis necessarijs admonuisse, eiq; præcepta è tenebris recenter educta tradidisse: Ramus verò D. Philippum fideliter explicâsse, & animaduersione methodica illustrâsse sit visus. In qua re demonstranda præclaram nauârant inter alios operam D. Beurhusius, Sonleuterus, Billsteinius, Erythropilus, &c. & nuper in fallaciarum doctrina doctiss. Buscherus. Et hac profectò docendi ratione Dialecticam, ex vtriusq; auctoris, D. Philippi, & Rami comparatione, nulla commodior: nulla studijs iuuenilibus vtilior. Si modò Ramea methodus seruetur, atq; ad huius fontes Dn. Philippi pręcepta, quotquot Logica sunt, adhibito iudicio reuocentur.

De *contradictione* verò quod adfertur, vix est, vt Dn. Philip. mordeat, quippe cuius pleraq; omnia ex Aristotele, & ipsius interpretibus excerpta. Si tamen eius aliquid proprium, quod cum certo rationum discursu ad normam artium reuocatum non omninò congruat; modò cum moderamine fiat: id refutare, ipsiq; contradicere, iure quolibet ex li-

Præceptoribus in falsis adsentiendũ non esse.

bertate Philosophica permissum: sicut suprà pleniùs ostensum. Stolidi sunt enim illi, & adulatores inepti: qui præceptorum vestigijs, etsi cum veritate pugnantibus, semper insistendum morosè sentiunt. Siquidem veritas in studijs rebus præualet omnibus: vtpote in qua publica vertitur salus: quæq; nec alicuius odio supprimi, nec gratia subticeri debet: nisi quis falsi testimonij, in detrimentum studiosæ iuuentutis editi, reus argui velit. Neque prætextus hic gratitudinis locum tenet: quæ cùm virtus sit, &, pro viribus nostris vt cuiusquam merita compensemus, requirat: hoc minimè patitur, vt veritatem in detrimentum alterius, falsum committentes, occultemus: atq; ex illius, quæ nostra non est, sed publicæ salutis, suppressione, quòd vires superat nostras, gratiam referamus.

Malitiosa igitur hæc est etiam calumnia: quicquid de contemtu Dn. Philippi, vel Præceptorum aliorum, hostes nostri blaterant. Dissentire enim à præceptore suo, cum sana & modesta ratione: non est ipsum contemnere vel odisse: cùm diuersarum specierum sint accidentia: dissensio, quæ iudicium mentis: & contemtus siue odium, quæ flamma voluntatis: vt ipsemet satis in Logicis accuratè D. Phil. distinguit, lib. III. de tit. quot sunt modi dic. per se. Vnde Cicero de se candidè scribit: *tantum abest, vt scribi contra nos nolimus:*

vt

vt etiam maximè optemus. *In ipsa enim Græcia Philosophi tanto in honore non fuissent, nisi doctißimorum contentionibus dissensionibusq; viguissent.* Quòd si tamen vel ipse Ramus, vel ex discipulis aliqui sint: qui vel erroris alicuius notorij, siue in sacris, siue prophanis litteris, vel immodestiæ cuiusdam, ex vehementia, aut leuitate ingenij obortæ, crimine condemnandi veniant: iniquissimum profectò foret: vel errorem istum alicui singularem, vel vitium personæ, dogmatum sinceritati adspergere. *Quotus enim quisque Philosophorum reperitur, qui sit ita moratus, vt ratio postulat,* inquit Cicero. Quinimmò nec Aristotelis nec ipsius D. Philippi hac ratione præcepta carebunt omni næuo: cùm vterque suis etiam præceptoribus, vt antè dictum, contradixerit multoties. Quid? quòd *scholæ ipsæ in Academijs, quas defendunt reprehensores Rami, & ordinem immutârunt Aristotelicum, & multa de suo addiderunt. Ipsi etiam Mathematici, quorum certæ tamen semitæ: tamen non ijsdem omnes insistunt, quibus Euclides, & Ptolemæus vestigijs:* vt disertè disertiss. in Epistola quadam Ioh. Sturmius.

IV.

Deniq; ne quicquã relinquant intentatũ, nostras, auctoritatibus virorũ virtute doctrinaq; prçcellentium, partes obruere laborant, vt horum deterriti iudicio Studiosi Philo-

sophiam Rameam, cane peius & angue, fugiant. Quæ tamen omnia, quotquot vnquam prodita: vel mitiora sunt: vt parum, vel omninò nihil laudibus Rami detrahant: vel planè sanguinolenta, quæ non nisi furcas, & mortes spirant. Hæc sunt ipsissimorum hostium, qui aduerso contra Rami Philosophiam prælio certârunt, & certant adhuc alicubi. Quorum cùm non ex deliberato iudicio, sed ex infesto odio, & acerbata inuidia, cui sæpe crassissima Rami scriptorum ignorantia coniuncta, testimonia sint effusa: vires omninò nullas in arguendo continent: cùm beneuolentia desideretur in omnibus: virtus & prudentia in plerisq;. Cuiusmodi est P. Montaurei à Zach. Brendelio Ienensium Philosopho Medico quondam productum: Zachariæ Vrsini Theologi Palatini, post obitum ipsius editum: & Henrici Regis Galliarum ab Oueno Gunthero Iuliæ Academiæ Peripatetico ante septennium publicè adfixum. Quæ omnia cùm in iure admodũ per se sint elumbia: vtpote à capitalibus inimicis, & in propria causa lata, & prolata testimonia: ac à diuersis Rami Sectatoribus sit ijs omnibus & singulis antè publicis responsum libellis: istuc Lectorem candidum breuitatis gratia dimitto. Omnis autem, ne dicam nihil, eorum energia consistit in medio termino: nimirum quòd Ramus sit Philosophiæ turbator, ho-

ſtis, imperitus, ſuperbus, &c. Qui cùm κρινόμενος antè ſemper fuerit, & adhuc ſit: quàm bono viro fidem facere queant huiuſmodi teſtium, in propria cauſa, teſtamina, cuiuis obuium.

Inter hæc, quæ ſunt *mitiora*, producitur à Brendelio Simonis Simonij: quod Lectori ſubijcere libet. *Quo animo*, inquit Simon. lib. 1. contra Schegk. *ſcripſerit animaduerſiones ſuas, nouaq́ etiã Logices auctor videri voluerit: neſcio, neq́ etiam, vt ſciam, laboro. Ille mihi ſcriptis primùm, deindè facie, tandem etiam conſuetudine notus fuit. Admiror acutiem eius ingenij, eloquentiam, multiplicem eruditionem, multaq́ alia dona, quæ Dominus in illo collocauit: probo eius mores, ac præter cæteros comitatem, ac in loquendo modeſtiam. Id non probo, quòd, dum in optimum quemq́ ſcriptorem, ac præſertim Ariſtotelem, non bene illius mente ac philoſophandi ratione percepta, inuehi neſcio quibus, argutis quidem, ſed vanis rationibus, poſſe putauit, incautam & ineruditam iuuentutem ab vtiliſſima planeq́ neceſſaria lectione auocare conatur.* Hæc ille. Vides hîc, quòd Aduerſarius in Aduerſario reliqua probet omnia: improbet duntaxat acerbitatem aduerſus Ariſtotelem, à cuius Lectione conetur auocare ſtudioſos. In quo falſus hic eſt Simonius ab alijs: & alios fefellit: cùm Ramo nunquam venerit in mentem ſtudioſos ab Ariſtotelis auocare libris: de quo toties proteſtatur; ſed attentiùs, & cum libero iudicio, vt Simonius.

 ipſum

ipſum perlegerent, aduocare potiùs. Et, ſicut periti Medici ferro & igne ægris proſunt, ſi medicamentis morbum diſpellere nequeunt: ſic etiam Ramo viſum fuit, non niſi durioribus increpationibus hominum animos, auctoritate Ariſtotelis indubitata penè ſuffocatos, à vanis, & ſterilibus diſputationibus, ad vtiliores doctrinæ fructus abigi poteſſe.

Iuſtus Lipſius refutatur.

Aliud hodie circumfertur Iuſti Lipſij, viri ſolidæ eruditionis, ac eximio iudicio præſtantiſſimi, quod Camerarij Iuriſconſulti in medit. hiſt. eſt elogium: quid in epiſtola Centuriæ primæ ad P. Buſium, de Dn. Philippi & P. Rami in artibus Logicis compendijs verba faciens, cùm doctos ipſos, ſedulos, induſtrios appellat, in quorum libris multa breuitate & ordine bona: vellicare tamen vtriuſq;, maximè tamen P. Rami famam, licèt timidiuſculè non erubeſcit, hoc ſolo nomine: quòd ſuis libris propoſitum fuerit ipſis: non adducere: ſed abducere potiùs à fontibus Ariſtotelicis ſtudioſos. De qua re, licèt aliam fuiſſe Philippo mentem planè ſciat: (fortaſſis enim Rhetoricæ præfixam Philippi proteſtationem legerat) de Ramo ſperet: nihilominus tamen erumpit in hoc Epiphonema: *Iuuentus*, inquit, *noſtra à me hoc audiat: Nunquam ille magnus erit: cui Ramus eſt magnus.* Itáne Lipſi, vir præſtantiſſime? Audit hoc noſtra quoq; Iuuentus, nõ ſine ſumma tui nominis reuerentia: Sed audit

tantùm:

tantùm: non obaudit: neq; credit Catonico more: nisi reddas sententiæ tuæ rationes, excellente tua doctrina dignas: manus ipsius sunt oculatæ: credit, quod videt. Quod enim mox subiungis, & infixo discedis aculeo, κρησφύγετον: *Pergebam in hac scriptione, reuocant me tuæ occupationes:* minimè satisfacit. Eodem enim ante te modo Theologus Vrsinus, cuius iam mentio facta, se liberat in suo de Ramo iudicio, his verbis: *hæc & similia errata, & vitia in nouis istis Rameorum scilicet, libris, nullo negotio demonstrari possunt. Id verò hoc loco prolixiùs foret: sed nec requiritur, vt quod ad scholas magis pertineat, &c.* Minimè, inquam, nostræ iuuentuti satisfacit istud, & illud, sine RATIONE prolatum. Quamuis enim litteraturæ politioris te nostro tempore principem libenter adgnoscat: maioris tamen fidei non est ipsi hoc effatum tuum: quàm si quis ex infima plebe sic effutiuisset. Semper enim præceptoris sui, tanquam symbolam, circumferunt, præceptum: *Quantum tibi probabitur: tantum credes.* Si tantum tibi dabatur ocij, vt per totam paginam bonorum virorum æternâ dignissimos memoriâ libros sugillares: cur vnicam nō tulisset tempus adiecisse dicto tuo Prætorio ratiunculam? Possem forsitan non ineptè dicere: quod exprobrat tibi Domannus IC. in Apologia pro Vvestphalia sua: te procul dubio non ingressum Philosophiæ Rameæ penetralia profundiùs:

Ra. 1. schol. Gram. lib. IIX. in fi.

& ſic vltra crepidam: ſed excellenti tuæ ſapientiæ parcam. Hoc tantùm dico: ſi magnus ille non eſt, ex edicto tuo, cui Ramus eſt magnus: cur tibi tamen ipſi magnus eſt, Andreas Dudithius ſummus ille ſummi in Rep. Chriſtiana Imperatoris Conſiliarius? Cuius nominis & virtutis famam penetrâſſe ſe dudum ad te, per multas terras, monteſq;, fateris in epiſtola tua. Hic enim ille vir eſt, cui P. Ramus magnus fuit: quem, vt antè dixi, prouocauit in Poloniam ad profitendum humanitatis ſtudia. Et ne tergiuerſeris, huius Dudithij in Ramum animi gnarum te non fuiſſe: cur quæſo tibi magnus Dauid Chytreus Philoſophus, Hiſtoricus, & Theologus Germaniæ noſtræ præcellentiſſimus? quem vt in Epiſtola ad I. Ihonſtonum Scotum, quondam præceptorem in Academia Iulia meum, & Rameæ doctrinæ tunc propugnatorem fideliſſimum, magnum prædices, exclamationis adhibes emblema: *quis ille vir!* Quem in epiſtola ad fratrem ipſius Nathanem tibi dicis *inter Germaniæ primos.* Attamen hic Ramũ ſemper, & ferè primus in Germania publicis magnificare ſcriptis non erubuit. Quod quò minùs te lateat: facit hoc, quod in eadem ſubdis epiſtola: *ſcripta tua & illius* (Dauidis) *iam olim vidimus.* Ergò vidiſti quoque pulcerrimum ipſius, *de Diſcendi ratione*, libellum: & in hoc illuſtre de Philoſophia Rami ſinceritate teſtimonium.

monium. Sed cui rei longiùs hîc desudare? Quòd enim verum non sit hoc effatum: testatur historiæ fides, & experientia temporis huius. Quippe magni fuerunt, procul dubio, vt ex multis paucos tantùm recenseam, Ioh. Sturmius, Th. Zuingerus Med. Car. Vtenhouius Flandrus, I. Th. Freigius Iurisconsultus: quibus tamen Ramus adprimè magnus fuit, vt ipsorum monumenta testantur. Magni sunt adhuc clarissima Iurisconsultorum lumina: Henr. Bocerus, Iul. Pacius, Herm. Vulteius, Ioh. Althusius, Hieronym. Treutlerus: & perspicacissimus ille Ioh. Gœdæus. Magni sunt: D. Dan. Hofmannus, & Ioh. Piscator, Theologi. Magni: Scribonius, Brightus, Tempellus, Medici: & præstantiss. ille Rudolphus, Goclenius Cattorum Philosophus. Magni, inquam, sunt omnes hi: cùm tamen ipsis P. Ramus non modò magnus sit; sed & maximus. Non igitur hoc tantùm te moueat, opt. Lector, acutiss. iudicis de Ramo iudicium: sed minus acutum, vt illius causa reformides ipsius dogmata. Quòd enim de veteribus quibusdam dicit ipse Lipsius: eos non semper fidei litâsse: forsitan in ipsum quoq; dici poterit aliquando. Siquidem quandoq; bonus dormitat Homerus.

Atq; hæc Lectori candido, contra maleuolorum partim calumnias, partim futiles accusationum strophas responsa, pro chartæ

mihi præfinitæ sufficiant angustia: quibus posteaquam duo corollarij vice subiecero, colophonem meæ Dissertationi tunc imponam. Cùm enim moles, omnis aduersus Ramum & Rameos intentatæ litis, in eo recumbat, quòd Aristoteli multis in locis contradicant: præter illa, quæ suprà copiosè sunt dicta, demonstrabo primùm ab exemplis, summorum Philosophorum, tàm veterum, quàm recentium: quòd alij similiter fecerint, quibus nulla propterea lis huc vsq; mota: & auctoritate præstantissimorum quarumcunque facultatum Professorum: quòd Ramus hoc summo iure fecerit.

EXEMPLA ALIORVM, QVI Aristoteli contradicere sunt ausi.

AD primum quòd attinet: sit mihi PRIMÒ Macrobius auctor non ignobilis, & peruetustus: qui cap. 15. lib. II. in som. Scip. in disputatione Aristotelica aduersus Platonem dicit: *quòd Aristoteles argutam de verbis calumniam sarciat: quòd in exercitio argutiarum sibi conniuens operam luserit: quodq;, Saturn. lib. 7. cap. 13. multa magis acutè, quàm* V E R E *disseruerit.*

Hinc adde Iohan. Annium in Catonis fragmenta de Originib. fol. 183. Audeo dicere (inquit ille) ac probare cùm oportuerit: etiam ipsum Aristotelem inconstantem esse, ac pluribus locis mendacem. O quantum

tum nocuerit veritati Italicæ à Iano traditæ vanissima Philosophia Græcorum introducta, verè Cato vates fuit, qui ad filium scribens, inquit: Quandocunq; gens ista litteras suas ad nos adducet, omnia corrumpet.

II. Ludouicus Viues, magnus ille recentioris temporis Philosophus: qui lib. I. de caus. corrupt. art. sic ait.

CARPIT *quidem plerúmq;* (Aristoteles) *meritò, in quo ingentem meretur laudem.* Sed nonnunquam affectatè, interdum non citra calumniam, in quo eũ multi incesserunt, &c.

Idem lib. V. sic disserit:

Quæro igitur, quæ tandem in Aristotele suprema naturæ vocent? An ea, quæ ad assensum veritatis pertinent: vt veritates habeat, quibus nihil possit esse veriùs? Habet indubiè *permultas*: Quis enim non habet, non modò ex Philosophis: sed ex vulgo? *Sed non sunt tamen vera omnia, quæ ipse confirmauit.* Philosophi aliarum Sectarum, nonnunquam etiam Peripateticæ, Galenus, & Medicorum complures, historici naturæ, prisci Religionis nostræ scriptores, multa in eo, magnis argumentis, & ineuitabili experimento cõuellunt. Quàm multa ostendit tempus falsa esse, & locorum varietas? Quid idem ipse, *an non in quibusdam secum pugnat?* Vt necesse sit ex duobus contrarijs alterutrum esse falsum.

Et ibi-

Et ibidem duabus paginis interiectis ita:

Est autem (Aristoteles) in definiendo vafer, & occultus: adeò, vt pleraq; sint in ipsius Philosophia incerta & perplexa, parum etiam vera, dum magis curat, quem in modum reprehensionem excludat, quàm vt adserat verum. In eandem sententiam dicit eadem lib. 1. pag. 22.

Item paullò pòst:

Sed enimuerò neq; Aristotelis volumina potuerunt intelligi, primùm *propter locutionem astrictam, & ex breuitate obscuram, hinc propter intricatas & obliquas sententias, tùm etiam ob immodicas subtilitates, quibus Aristoteles plerumq; non exacuit ingenia, sed perturbat & frangit, tenebrasq; & hallucinationem inducit aciei mentis, dum conatur minutias quasdam tenuissimas ostendere, & per se inutiles: & quæ intentionem obtutus ingenij subterfugiant ac frustrentur: non aliter quàm si fila monstrare quis vellet rudentum illius nauis, quam Myrmecides fabricatus est, apicula contectam: vel dispunctiunculas Iliados, quæ nuce capiebatur.*

Idem lib. 1. eodem titulo.

Videre est in Aristotele, vt de illustrissimo ac certissimo scriptore potissimùm loquar: in eo, inquam, sunt quædam dogmata, in multis quidem certa; sed sæpe parum solida, & Catholica. Non nego, *quin dogmata eius omnia possint à pertinace defendi, vel centum cuneolis infarctis vt fulciantur, inuersis, detortis, mutatis multis mille inter-*

Veritas ipsa: Quid si Ramus ita diceret?

interpretatiunculis. Sed certè contradictioni sunt exposita, quæ ingenia torquet, non instituit.

III. Laurentius Valla, aperti & doctissimi pectoris in præfatione Dialectices.

QVò minùs ferendi sunt recentes Peripatetici, qui interdicunt libertate ab Aristotele dissentiendi: quasi sophos hic non Philosophus, & quasi nemo hoc antè fecerit.

Idem ibidem:

Quid alios loquar? nónne Theophrastus Aristotelis successor à præceptore suo dissentire non timidè solet? Hæc de Græcis (vt taceam, quòd Homerum, Platonẽ, Demosthenem magis quàm Aristotelem semper sunt admirati) Quid latini? nunquid Aristotelem sophon putaueruut? immò nec summum Philosophum. An Varro Aristotelicus fuit? minimè: sed iter suum tenuit, si Lactantio credimus, duobus Platoni & Aristoteli par. Cicero Academicus ac Platonis æmulus, qui semper primas in Philosophia partes Platoni tribuit: vt ferè omnes fecerunt. Plancus partim Stoicus, partim Epicureus. Brutus ac Seneca Stoici: quam sectam Hieronymus simillimã censet Christianæ religioni: Cuius præcepta tradentes Panætium atq; Ciceronem,

Ambro-

Ambrosius æmulatus est: quasi & ipse stoicaret. Augustinus in publica opinione est, Platonem Philosophorum esse principem. Apuleius Platonicum se & esse dici voluit. Nam & Macrobius multò plùs defert Platoni. Nec aliter sentit eruditorum Vltimus Boëtius.

Idem post:

Nam Auicenna & Auerrois planè barbari fuerunt: nostræ linguæ prorsus ignari, & græca vix tincti. Quorum etiamsi magni viri fuerint: vbi de vi verborum agitur, quæ plurimæ sunt in Philosophia quæstiones: quantula debet esse auctoritas: certè non maior, quàm hominũ in mediterraneis natorum: qui nunquam nec mare viderint, nec nauigium intrauerint, differentiũ de ratione nauigandi. Hos ego homines verear? hos ego audiam? vetantes, ne quid in Aristotelem dicam. Hos sibi tantum sumere patiar? quod non ipsis Athenis, quod non omnibus Philosophis, quod non cunctis seculis concederetur. *Neq; verò mihi tanti videtur ingenij Aristoteles, vt quasi Achilles Herculesúe inter Heroës, aut luna inter sidera: ne dum sol sit æstimandus.* Non enim his rebus operam dedit, vnde præstantes viri maximè dignoscuntur: aut consilijs publicis: aut administrandis prouincijs: aut exercitui ductando: aut causis agendis, aut medicinæ factitandæ: aut iuri dicundo: aut responsis consultorum:

aut

aut ſcribundis hiſtorijs, aut poëmatibus componendis.

Et paullò pòſt:

At enim compoſuit plura quàm cæteri Ariſtoteles. Num protinus & prȩſtantiora? ego neſcio, an præſtantius ſit, quod Hippocrates, quod Euclides, quod alij quidam fecêre, firma atq; indubitata alicuius artis tradidiſſe principia. Compoſuit plura quàm cæteri, *ſed & plura compilauit. In quo improbitatem eius licet cognoſcas, quòd quæ compilat, non illis refert accepta, à quibus ſumſit: ſed ſibi vendicat: & eoſdem vbicunq; peccâſſe opinatur, citiùs ardentem flammam ore continere poſſet, quàm non nominare.* Compoſuit plura quàm cæteri: eſto, num cuncta quàm cæteri meliùs? num ita vt nihil alij queant dicere? num vt pro Deo habendus ſit? *Pudet referre apud quoſdam eſſe morem initiandi diſcipulos, & iureiurando adigendi, nunquam ſe Ariſtoteli repugnaturos: genus hominum ſuperſtitioſum atq; vecors, & de ſeipſo malè meritum; cùm ſe facultate fraudent indagandæ veritatis: quos ſi reprehendere iure optimo poſſumus, quòd hanc ſibi legem impoſuerunt: qua tandem inſectatione caſtigare debemus, ſi hanc legem in alios transferunt.* Quare illis contemtis ac ſpretis, ſi qua ſunt, quæ, quàm in Ariſtotele, meliùs dici poſſent: ea tentabo ipſe meliùs pro mea virili dicere, *non hominis* (quod abſit) *inſimulandi gratia: ſed honorandæ veritatis.*

Notate Peripatetici viri.

IV. Ro-

IV. Rodolphus Agricola, literaturæ primus in Germania restaurator, Dialectices lib. 1. c. 3.

NOs tamen omnes illius (Aristotelis) non sententias modò, sed verba etiam pertinacissimè & mordicus tenemus: ac si quis mouere quicquam tentet, aut discedat transuersum (quod aiunt) digitum ab eis, non aliter atq; qui secantur vrunturq́; clamamus: faciliusq́; tulerimus de mysterijs, summaq́; relligionis aliquid aufferri. Ego Aristotelem summo ingenio, doctrina, eloquentia, rerum peritia, prudentiaq́;, & (vt semel dicam) *summum quidē hominem, sed hominē tamen fuisse puto: hoc est, quem & latere aliquid potuerit, quiq́; vt nō omnia primus inuenerit, ita alijs pòst se inuenienda aliqua reliquerit*, qui etiam non omnia, quæ inuenerat, crediderit in vulgus prodenda: & nunquā *fortaßè contradicendi studio*, quo maxima ferè tentantur ingenia, non tam, quid ipse sentiret, quàm contrà quid alius sensisset, dicendum putaret. Plurima ille rectè: *sed & alius aliquid non malè.* Quò iustiorem ego veniam credo illis esse oportere, si qui fuerūt, qui putarent, non vtiq; illi, tanquam scopulo vsquequaq; adhærescendum esse, neq; de suis desperârunt ingenijs: *cùm ingrati poßit, & iniquè de parente omnium natura existimantis videri, credere ipsam omnia sua in vno illo partu effundentem munera, reli-*

quæ

quæ posteritati humani generis in omne æuum sterilem effœtamq; manere voluisse.

Adsit huic cõmentator ipsius, qui lib. 2. c. 1. sic ait: Enitendum nobis hoc est, principiò, vt quæcunq; in ea, etiamsi argutè quidem, & cum maxima quadam subtilitate, dicuntur: *tamen nihil aut minimum vtiq; conducunt ad vsum: ea omnia aut in totum submoueantur, aut certè non oneretur hisce rebus iuuentus:* quod genus magna ex parte esse, quæ sola hodie docent scholæ: *nec non multa etiam ex ijs quæ tot libris complexus est Aristoteles.*

V. Iacobus Grifolus ad VII. Cælij Caleagnini disquisitionem.

NAM Cicero, vt testatum multis voluminibus reliquit, Aristotelis moralia diligenter legit, nec ab eo propterea dissentit, quòd nesciat, quid ille senserit, *sed quia tunc eum non probat.* Neq; verò illius ætas erat huic nostræ similis, quæ vnum nouit Aristot. præterea neminem. At vigebant quatuor illæ Philosophorum scholæ, quarũ singulæ multos habuerunt amatores, à quibus eruditissimis disputationibus defensæ sunt. At si veterum Philosophorum scripta videremus, aut eorum, quos reliquos habemus, testimonio crederemus, necesse esset fateri longè plures, & eos grauiores Platonicos, quàm Aristotelicos fuisse. Erat ergò fas bonis illis tempori-

bus, vt etiam antea fuerat, *Aristoteli non modò non assentiri, verùm etiam repugnare.* Nunc autem eò iam ventum est, vt dicere non satis sit, vt olim de Pythagora solebat, αὐτὸς ἔφη, verùm singula huius verba singula esse oracula putemus. At si hoc inertiæ nostræ largiamur, vt ex tàm multis vix vnum cognoscamus, laudare debemus eos, qui vt omnes cognoscerent summo studio, & labore perfecerunt. Itaque omnium collatis opinionibus, quæ maximè placerent, eas cum causa, vt illis videbatur, secuti sunt. Vt Marcum Tullium fecisse constat, quem quidē cùm ex alijs, tùm ex illis quinq; de finibus bonorum, & malorum libris par est existimare, nihil ignorâsse, quod illæ scholæ, quæ tunc erant in honore, sentiebant; Hîc ego, quòd sæpius se fecerit Academicum, & Stoicum, quàm Peripateticum, nolo statuere: vtrum rectè fecerit nec ne; verùm quoniam ea tempestate nulla relligio videbatur, si quis improbâsset Aristotelem, demus hanc veniam Ciceroni, vt ab ijs, quos sibi duces elegerit ad Aristot. non deficiat, nec libeat semper hoc enthymemate, vt Cælius consueuit, vti, Non sic Aristoteles. Ergò malè Cicero.

In eandem ferè sententiam de seculi nostri conqueritur impudentia Hieron. Cardanus excellentissimus ille Medicorum Princeps in præfatione libr. de Subtilit: Non defuturos scio,

ſcio, qui cùm meliora non poſſint in medium proferre, &c. conentur in quibuſdam contradicere hoc vel argumento: quòd ab Ariſtotele diſſentire videar. Nam adeò humanum genus ſibi iam prurit: vt malint à veritate, à ſenſu, ab experimento, à rationeq;, deniq; ab omnib⁹ quàm ab auctoritate viri diſcedere, &c. Et paullò pòſt: Itaq; cùm hi, qui aduerſus demonſtrationes, experimenta, veritatemq; nituntur, nõ mihi alijs videantur ſimiles: quàm his, qui muros ſolùm deijcere didicerunt, lapidem verò ne vnum alteri ædificandi cauſà ſuperponere: qui verò putant, Ariſtoteli me contradicere: *Veritatis odium, & ſtuporem mentis egregium* prodant, &c. Hæc ille, quo maiorem tunc non habuit Italia: qui præterea Sacrum illud Palladiũ diſertim expugnauit, Demonſtrationem ſcilicet, tanquam inutilem, confictam, impoſſibilem: quique alijs in locis Ariſtotelẽ inſcitiæ & ignorantiæ in Naturæ obſeruationib. inſimulauit: multos ante Rami ſcripta annos.

VI. Ioan. Caſus in ſumma Dialectices ſuæ, lib. Topic. De Inuentione.

ETſi Ariſtoteles ſummus artifex, adeòq; oraculum Philoſophiæ extiterit, *hominem tamen fuiſſe conſtat, hoc eſt, illum qui errare, labi & decipi poteſt*: non enim ei ſoli omne ingenium natura, non omnem artem Minerua dedit:

quippe vno partu omnia ſua munera non effudit: ne effœta ſteriliſq́; ſuæ poſteritati videretur. Quare etſi diſertè & eruditè omnia ſcripſerit Philoſophus, *nimis tamen confusè, nimis abſtrusè de locis ſcripſit. Ideoq́ nemo ita admirari debet Ariſtotelem, quin liberum ei ſit, ab Ariſtotele, cùm placet, & cùm velit, deſilire:* Maximè verò cùm maiorum conſenſu errâſſe iudicetur, vt cùm affirmet cor eſſe principium externorum ſenſuum: adhuc cùm aſſerat æternitatem mundi.

VII. Nicolaus Taurellus tractat. 1. in princip. Triump. Metaph.

PRæcipuam Philoſophiæ maculam inuſſit auctoritas: cùm enim philoſophorum acutiſſimus fuerit Ariſtoteles, veritatemq́; in plurimis quàm proximè apprehenderit, Philoſophiæ fons, & regula iudicatus eſt; vt ſi quid cum eius dogmatis pugnaret, nequaquam Philoſophicum eſſe videretur. Falſa certè nec minùs hæc eſt ridicula hominum perſuaſio, quaſi non innata nobis, ſed acquiſita ſit Philoſophandi ratio. An ſi quotquot vnquam conſcripta ſunt opera euanuiſſent, proinde Philoſophari non potuiſſemus? Humanæ menti non Ariſtoteli Philoſophia eſt adſcribenda: Non is enim Philoſophiam peperit, nec ipſi nomen indidit, vt à Philoſopho Philoſophia denominaretur, cùm non crede-

credere, sed intelligere potiùs Philosophiæ sit dignitas.

Et paullò pòst:

Quæ scripserunt igitur quotquot vnquam extiterunt Philosophi, si non sint veritati consentanea, Philosophica nequaquam dixeris, sed Sophistica potiùs.

Videtis ex plurimis pauca de doctrinæ Peripateticæ structura sat debili testimonia: eáque non ex infimæ plebis, sed ex summorum Philosophiæ principum libris decerpta. Quibus fortè Schegkium non incommodè subdideritis, spem & præsidium Scholæ vestræ: qui in Apodicticis suis Aristotelem somniâsse, errauisse, & anatomiæ imperitum palàm prædicat. Quæ tantò nobis euidentiora: quòd, cùm pleriq; sint ex his Aristotelis intimi familiares, & genuini discipuli: prout validissimum est in iure inimici pro inimico testimonium: sic & sint hæc ab amicissimis contra amicum prolata validissima. Quid videtur Domini Peripatetici? nónne patet ex his: quòd vno ore rideant, & abominentur turpissimum illud, à vobis, & maioribus vestris, magno cum studiorum detrimento, liberalibus ingenijs onus seruitutis impositum? nónne volunt omnes vnicuiq; liberè ab Aristotele cum ratione dissentiendi licentiam dari? nónne testantur omnes imperfecta, obscura, & falsa multis in locis eius dogmata? nónne dete-

ſtantur omnes amentiam & ſtolidiſſimã credulitatem veſtrorum omnium, qui non adhibito rationis liberrimæ iudicio, pecudis inſtar ſtupidæ, cõplexi eſtis & exoſculati quodlibet: quod vel ex Philautiæ, vel Philoniciæ, vel antiperantologiæ ſtudio modò ſomnians, modò vigilans effutiuit. Quid, quæſo per omnes Muſas, aliud eſt, alienæ libidinis in ſentiendo quidlibet eſſe miſerum mancipium: ſi hoc nõ eſt! Hîc noſcat & adgnoſcat D. Scherbius collegam ſuum, acutiſſimi & dexterrimi iudicij virum. Qui licèt in propædiæ ſtudijs cum Ramo fortè non faciat: nequaquam tamen dubito: quin, ſi, quod in pædia fecit, vndè ſacroſanctum illud, & admirabile, de materia prima, & priuatione Myſterium firmiſſimis exterminauit argumentis: idem in propædiæ ſtudijs ipſi facere libuiſſet: multum cum Ramo facturus fuiſſet.

Auctoritatis aliorum P. Rami cauſam comprobantium.

Alterum ſupereſt, vt, quod Ramus cum præſtantiſſimis, modò commemoratis, fecit Philoſophis, iure factum fuiſſe probetur aliquorum auctoritatibus. Quæ licèt antè ſæpius ab alijs productæ ſint, & multorum verſentur in manibus: quia tamẽ fieri poteſt, vt eiuſmodi ſcripta, qui legerit hæc, ſibi parata non habeat: huc etiam congerere nunc allubeſcit.

Primus igitur in hac serie sit Dauid Chytræus Theologus, ob sacrarum & humanarum litterarum cognitionem, toti Europæ cognitus: Cuius in libello, de Ratione Discendi, de P. Rami Logica sunt hæc verba.

NEMO *autem pòst Philippum* (quod absq; inuidia & saluo cuiusq; meliori iudicio dictum velim) *vsum artis Dialecticæ, in disertorum Poëtarum & Oratorum scriptis rectè intelligendis & explicandis, faciliùs & vberiùs ostendit, quàm* PETRVS RAMVS: qui etiamsi ordine præceptorũ & tradendi ratione nonnihil à vulgari consuetudine in scholis recepta discedit: tamen haud dubiè, præceptorum, quæ inprimis ad rectè iudicandum & disserendum necessaria sunt, paucitate & facilitate: Et exemplorum illustrium bonitate, copia & perspicuitate: & ostensa ratione Exercendi præcepta in Analysi, seu retexendis & iudicandis aliorum scriptis, & disputationibus, & proprijs componendis: multis alijs antecellit.

Et ne putes ipsum, nimiæ acerbitatis Rami in Aristotelem penitus ignarum, sic censuisse: audi quid paullò pòst dicat:

Non inutilis autem studiosis prouectioribus, ad formandum iudicium de præceptis & vsu artis, erit *Animaduersionum Petri Rami* lectio: in quibus etsi scrupulosiùs nonnihil, & iusto

vehementiùs Aristotelem exagitat, ficut ipse Aristoteles, nullius eorum Philosophorum, qui ante ipsum vixerunt, nomini pepercit: tamen simul *breuem & eruditam totius Organi Enarrationem complectitur, & sententiam ac vsum præceptorum Aristotelis, præsertim in posterioribus analyticis multò dexteriùs & clariùs demonstrat,* quàm multi ex Veteribus Aristotelis interpretibus, qui præcepta ab Aristotele coaceruata, subtiliter quidem & copiosè explicant, sed vsum artis in retexendis & explicandis sapientum & disertorum hominum scriptis & disputationibus, & proprijs componendis, nullum ferè ostendunt.

Secundus sit Ioannes Sturmius: quo vix est vt ob eloquentiam, & in omni studiorum genere, maximè iuuentutis informandæ, peritiam, maior huc vsq; vixerit. Cuius in epistola quadam ad Henricum Schorum sunt hi sermones.

DE P. Ramo si petis, vt petis, quid sentiam, *virum bonum illũ esse iudico, & hominem benè litteratum*: qui hac vita (vt vocant) scholastica, & illius stipendio contentus, ampliores opes aut honores nõ requirit. Nam quòd alios offendit, me non lædit: quoties liberiùs iudicat de Aristotelicis præceptis, alium in ijs ordinem & viam requirens, quædam etiam desi-

desiderans, quæ deesse videntur. Fecit idem Aristoteles ijs, qui ante ipsum scripserũt, Dialecticis, Rhetoricis, Philosophicis, scriptoribus. Et scholæ ipsæ in Academijs, quas defendunt reprehensores Rami, & ordinem immutârunt Aristotelicũ, & multa preterierunt, multaue de suo addiderunt. Et Rod. Agricola istud ius sibi etiã arrogauit, & non idem, quod Aristoteles sentit & tradit de locis inueniendi. Ipsi etiam Mathematici, quorum certæ sunt semitę, tamen non ijsdem insistunt omnes, quibus Euclides & Ptolomæus, vestigijs. Ego æquitatem & humanitatem in nostris iudicijs, quæ de alijs facimus, desidero. Si idem semper sentiendum & loquendum sit, nihil noui inuenire liceat.

III. Theodorus Zuingerus Medicus, qui doctrinæ & laboris immensi theatro suo, totum mundi theatrum famæ celebritate repleuit. Cuius hoc Elogium:

ILlud ego non obscurè fateor, ex prælectionibus simul ac scriptis Thalæi, maximè verò P. Rami, (quem præceptoris loco colui olim & nunc quoq; veneror) id boni me consecutum, vt in omnibus omnium scriptis Analysin, in priuatis commentationibus genesin logicam meditarer.

IV. Iulius Pacius Heidelbergensis Iureconsultus per Galliam & Germaniam celeberrimus: in præfatione Logica ad illustrem Comitem Iacob. Zabarellam.

QVI fieri potuisset, vt P. Ramus, Rhetorices & Logices cognitione, qualis & quantacunq; in eo fuit, instructus, Aristoteleam doctrinam, tot seculorum & gentium auctoritate receptam & comprobatam, suspectam apud multos reddidisset, nisi pleriq; nominetenus Peripatetici, quibus cum Ramo contentio fuit, bardi ac Sophistæ fuissent! Hi dum Aristotelis scripta peruersè interpretantur, dum omnia partim imperitia, partim ambitionis causa inuoluunt,

—— —— *contactuq; omnia fœdant*
Immundo. —— ——

Occasionem viro bono præbuerunt, non solùm contra illorum ineptias; sed etiam contra Aristotelem ipsum malè intellectum disputandi. Quæ contentio eò progressa est, vt ab vtraq; parte pugnent acerrimè, tanquam pro aris & focis. Quare studio partium incensi non solùm ea quæ sunt damnanda; sed etiam recta & vtilia, nec à se intellecta, reijciunt. Quod certè ij faciunt, qui Rami Dialecticam, quam nunquam legerunt, temerè improbant, &c. Re ipsa enim sum expertus, quibus Aristotelis organum non est accommodatum (mul-

(multis enim ob varias causas illi⁹ libri lectio est vtilis) ijs non posse vtiliorẽ proponi quàm Rami Dialecticam, quæ est logicarum præceptionum haud contemnenda Epitome, &c.

V. Iustus Vulteius Philosophus excellens, & Hebreæ linguæ in Acad. Marpurgensi professor Publicus, D Hermanni Vulteij C L. I C. & excellentißimi Ramei, pater.

P. RAMVS in artibus humanioribus certis & euidentibus notis ciues Reipub. cuiusque artis sapientissimè, tùm ab inquilinis tùm à peregrinis discriminauit: quorum vtriq; se iam pro ciuibus gerere, populo non animaduertente, atq; adeò etiam applaudente cœperant. Debemus itaq; P. Ramo viro doctissimo, laboriosissimoq; eius, quæ quò longiùs progreditur, eò pluribus maioribusq; tenebris inuoluitur, ἀταξίας expulsionem. & τάξεως, quæ magnæ & in intelligendo perspicuitatis est, & in retinendo facilitatis, restitutionem.

Idem:

Nec mihi pro Ramo, nec docto est pugna Philippo:
Verus vterq; placet: falsus vterq; iacet.

VI. Carolus Vthenhouius F. Patric. Gandauensis Philos. eximius, & Poeta, trium ling. peritiss. in 1. Allus. suarum libro.

Tu Ci-

Tu Ciceronea decerpis ab arbore Ramos,
Eloquij Ausonij summus in vrbe parens.
Creditur hac toties Cicero tuus vrbe renasci,
Dicturus quoties Regia scamna subis.
Pulpita scandentem comitatur gratia linguæ
Non minor in Latio, quàm Cicerone fuit.
Eloquij iuuenes, Ramo duce, carpite Ramos,
Arbore bis Ramus grandior iste sua est.

Idem de eodem:

Nec sine decerpto fatali ex arbore Ramo,
Aurea pro viridi cui coma fronte fuit;
Nec sine doctiloqui pretioso munere RAMI,
Aurea cui fandi copia ab ore fluit:
Fas erat vmbrosæ telluris operta subire,
Aut Stygiæ sacrum limen adire Deæ.

VII. Rodolphus Goclenius Philosophus Marpurgensis ex editis à se scriptis in orbe litterato celeberrimus.

NON *sacer infernæ Iunoni Ramus, at ipsis*
Musis Musarumq́; patri, verè aureus ille:
Heu præter meritum vasto veniente fragore
Ventorum cecidit: qua culta Lutetia Gallis
Nunc illum infelix Sophiæ desiderat arbos:
Cui decussus honos, nullo reparabilis æuo.
Huic adstant flentes iustissima corda sorores:
Dulcis Alethia ingenuis inuisa Sophistis:
Quaslibet à normis purgans fallacibus artes:
Et Logicâ resecans documenta impropria falce
Institia: eq́; Iouis cerebro prudentia nata

Inuia cui, traiecta locis, nugatio sordent.
Aurea sed Ramenta tamen, studiose, supersunt.
Hæc altè vestigia oculis, dextreq; repertis
Vtere: in his Ramus viuit, victurus in æuum.
Hæc tibi discendi filum, Methodumq; docendi
Ostendent, lucemq; dabunt, minuentq; laborem.

Et hæc ex innumeris pauca, cernitis, virorum præcellentissimorum de Ramo & scriptis ipsius elogia, Peripatetici Philosophi: Quæ si contuleritis cũ illis, quæ vos hinc indè circumfertis emendicata: non modò videbitis hęc auctoritatis, sed & fidei pondere longè grauiora. Vestra namq; contra Ramum testimonia sunt illorummet ipsorum: qui vel in acie aduersus ipsum capitales steterunt hostes: vel saltem pugnantibus succenturiârunt atq; suppetias tulerunt, & adhuc ex parte ferunt. Qui ad vnum omnes Rami scripta vel legêre nunquã: vel obiter, & ex superficie cõspexere solummodò. Hæc verò nostra pleraq; sunt omnia pariter illorum, qui nati fuerunt, & alti in Peripatetica familia, in eademque consenuerunt: attamen pro Ramo, à cuius pleriq; dogmate non pependerunt, aduersus seipsos & peripateticos, veritatis & candoris impulsu, contestati sunt. Quod tantò nobis optatius: quantò minùs vos vnicum producere potestis: qui Rameę Philosophię dogmata per-

ta perdidicerit:& tantæ absurditatis ac impietatis, quam vos ipsi calumniosè impingitis; pertæsus, ea tandem deseruerit, vel odisse cœperit. Quod dico res est ipsa. Quid enim Chytræus? nónne D. Phil. discipulus fuit intimus? nónne cùm alias artes, tùm præcipuè Rhetoricen ad saliuam & palatum vestrum publicè conscripsit? Quid Sturmius? nónne partitiones Logices ex ipsis Aristotelis plerunq; verbis, & de elocutione quoq; Rhetorica vestrorum tradidit interpretum sensus, quos ad vnguem penè expressit? Quid Zuingerus? nónne præstantes in Ethicen Aristotelis commentarios edidit? De Pacio quid dicam? nónne totum, vt ipse fatetur in præfatione Pandect. Iur. ciuilis, organo Logices Aristotelico, quod postea correctius edidit, quinquennium impendit? Quid deniq; Goclenius? hic meherclè vir iste: quo nescio quis in Germania viuat hoc tempore, qui studiosius Aristotelis scripta peruoluerit, & ipsorũ sensus genuinos accuratiùs illustrârit.

Attamen omnes hi tam honorificum illi, quem vos hostem & turbatorem vestræ doctrinæ proclamatis, testimonium perhibuerunt. Quî factum? ecquid ignorârunt hunc Aristoteli tantoperè infestum? De tantis hoc omninò viris dici nequit. Immò quòd vos omnium nefas grandissimũ facitis, in eo quod Aristoteli contradixerit: id ipsi partim vitio

nulli

nulli vertunt: partim prætextu quouis excuſant honeſtiſſimè. Quid igitur? præiudicio faſcinati iudicium rectius informare non potuerunt? minimè! In Ariſtotelis enim Philoſophia nati ſunt,& educati: eam profeſſi ſunt, in eaq; profitenda conſenuerunt pleriq;: nec ab ea defecerunt vnquam. Quo igitur iure, quaúe iniuria, bone Peripatetice, teſtes hos eludes, reprobabis, inteſtabiles reddes? I nunc Salzhuebere, Philoſophaſter impudentiſſime,& inſigniter rabioſe! i nunc,& apertè ſcribito: Ramus magni fit ab ijs, qui meliora nunquam didicerunt. Item craſſa & tenebricoſa Ramiſtarum ingenia ſubtilitatis Philoſophicæ non ſunt capacia, &c. Audis, bone Lector, quò tendat? Nimirum quia Ramei ſtudiorum ſuorum omnia præcepta ad vſum in vita communi referunt, & quidquid illuc referri nequit ex ſubtilium & exilium nugarũ farragine radicitus euellunt: idcircò craſſi ſunt, & indocti: quia ſtolidiſſimas eorum, qui in clauſtris Monaſteriorum, & alibi, ab omnibus rebus ocioſi, vitam tranſigentes, ſubtiliſſimas quasq; vanitates pro libidine ingenij cõmenti ſunt, nugas, & phantaſias adſpernãtur.

Verùm, ſit ita. Libenter nos iſtam vobis relinquimus ſolidam eruditionem: iſtam ſubtilitatem, & ἀκρίβειαν Philoſophicam: ad quam nec adſpirauimus vnquam; nec eam, ſi nobis vnico poſſetis inſpirare momento, ſcire velle-

vellemus. Interim cum fortiſſimo viro ſentimus: μισῶ σοφιστὴν· ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός, hoc eſt, *odi ſapientem, qui ſibi non ſapit*, hoc eſt, illarum quæ ex vſu vitæ ſunt, eſt ignarus. Et tales argutæ delectabilisq; deſidiæ aculeos audientes, neq; in his ſcrupulis aut emolumentũ aliquod ſolidum, ad rationem vitæ pertinens, aut finem vllum quærendi videntes, Enniani Neoptolemi, cum Agellio, cordatiſſimum probamus dicterium: *Philoſophandum eſt paucis: nam omninò, haud placet*: hoc eſt, illa tantùm Philoſophorum breuiter delibanda dogmata: quæ cùm in communi vita, tùm in eo vitæ genere, cui ſua quiſq; mancipaturus eſt ſtudia, commodo ſunt & inſigni adiumento futura: reliquis omnibus, quæ delectationis plus, quàm vtilitatis habent, omnimodò prætermiſſis: vel ſaltem leuiter attactis. His enim niſi modum quis fecerit: periculum, vt idem iudicat Agellius, non mediocre erit: ne, vt pleriq; veſtrûm: ſic is etiam in illis ſubtilitatis Dialecticæ gyris atq; Mæandris, tanquam apud Sirenios ſcopulos conſeneſcat. Dicemus igitur cum Iſocrate Græcæ eloquentiæ ſummo duce: πολὺ κρεῖττον ἐστὶ περὶ τῶν χρησίμων ἐπιεικῶς δοξάζειν: ἢ περὶ τῶν ἀχρήστων ἀκριβῶς ἐπίστασθαι, καὶ μικρὸν προέχειν ἐν τοῖς μεγάλοις: ἢ πολυδιαφέρειν ἐν τοῖς μικροῖς, καὶ μηδὲν πρὸς τὸν βίον ὠφελοῦσι: hoc eſt, *multò meliùs eſt, de vtilibus rebus mediocrem doctrinam, quàm de inutilibus accuratam ſcientiam habere*: & paulla-

paullatim antecellere in cognitione rerum magnarum: quàm multùm alijs præstare in paruis, & nullam in vita vtilitatem adferentibus. Quid quæso de vestris dici posset accommodatius subtilitatum laboriosissimarũ studijs? Sed ampliùs, si lubet, audi: quid disertissimus ille Viues lib. IV. de trad. disc. *Quare contemplatio naturæ rerum, nisi artibus vitæ seruiat, aut ex notitia operum sustollat nos in auctoris notitiam, superflua est ac plerumque noxia. Quapropter illa abijcienda sunt penitus, quæ ad curiositatem quandam solùm pertinent, ne illis distentus animus meliora scrutari postmittat. Magis sunt illa spernenda, quæ ad inanem ostentationem conficta nihil in se continent solidi, & profuturi, &c.*

EPILOGVS.

HABES ita, pie Lector atq; candide: quod pro defensanda Philosophiæ Rameæ dexteritate, & innocentia, aduersus calumniatorum truces inuectiuas, & acerbas D. Phil. Scherbij dissertationes opponere libuit.

Ex quo primùm patet, hanc Philosophiam nullis erroribus obnoxiam: multis verò commoditatibus refertam: quòd omnibus ijs, quantum fieri potuit humanitus à Ramo, bonæ Philosophiæ vel artis conditionibus bonis, quas cùm natura, tùm ratio, & præstan-

tissimorum auctoritas requirit, abundè sit instructa.

Deinde sit euidens Peripateticum Philosophandi genus, vtut inter omnia sit aliâs optimum, longo post illam interuallo ponendum: quod erroribus, ijsq; neq; paucis, neq; leuibus sit conspurcatum: quodq; difficultatibus quamplurimis, ad impediendos tàm docentium, quàm discentium animos, obscurum, prolixum, & perplexum.

Ex quo firmissima sequitur adsertio, Rameam Philosophiam in scholas bene constitutas admitti bona fide posse: & semel admissam, per Aristotelicam repelli nulla ratione, debere.

Quod à me non eâ mente factum Deus mihi testis sit, & animus sibi bene conscius: quòd vel Aristotelem, & adseclas ipsius conuitijs, aut contumelijs proscindendi malesana libidine differar: vel illius, & istorum scripta sapientiæ plena, iuuentutis ex manibus discutere, vel saltem exosa reddere connitar: sed vt hos via planâ & compendiosa, temporis spacio breui, per P. Rami Methodos, accuratâ breuitate conspicuas, ad ipsamet Aristotelis opera, proprio Marte percurrenda deducam: & in libertatem Philosophicam, quâ sunt omnes omnium seculorum præstantissimi semper vsi Philosophi, adeoq; Aristoteles ipsemet, restituam; hoc fine, vt Aristotelem

non

non tanquam ſtupida pecora, omnibus ipſius annuentes opinionibus *legant: ſed vt homines ratione præditi*, quid verum, falſumq; ſit in ſcriptis ipſius, *intelligant*, & adhibito ſuorum ſenſuum iudicio rationes dictorũ, & diuerſitatis cauſas perueſtigare ſtudeant. ,Quamuis enim Ariſtotelis inſignia ſint, de quibuslibet Philoſophiæ capitibus, theoremata: quæ Ramei exoſculantur, & magnifaciunt omnia: tradendi tamen illa ratio, propter confuſioné, obſcuritatem, prolixitatem, ſermonis aridas & hiulcas mutilationes, de quibus teſtimonia Plutarchus & Strabo dant ampliſſima, ſtudijs iuuenilibus vehementer eſt incommoda.

Cùm igitur P. Ramus, & adſeclæ ipſius immenſo cũ labore deſudauerint huc vſq;, nec à labore ceſſauerint: priuſquam difficultatibus omnibus amotis, ſpinis & hirſutis ſentibus, ex agro Philoſophico, radicitus exſtirpatis, ordine pulcherrimo laudatiſſima conſtruxiſſent omnium Philoſophię partium Syſtemata: quibus hodie, breuiſſimis annorum ſpacijs, perluſtratis, ſtudioſi, experientiâ teſte, longiùs, ad viriles, progreſſi ſunt, in ſtudijs, ætatis annos: quàm Peripateticorum vaſtam per ambages multas Methodum circumcurſitantibus ad extrema ſenectæ tempora contingit: admiranda ſanè tanta quibuſdam in hominibus peruerſitas; vt inuentis frugibus lautiſſimis, putri glande veſci, quæ

Ciceronis verba, malint: & cùm triticum ſit impromtu, lolio victitare ſatiùs arbitrentur.

Quod vt pie candideq; Lector æquo perpendas animo, & ſine præiudicij, quod omne iudicium, Lipſio teſte, tollit, velo conſpiceris: eſt quod amanter & officioſè rogo.

Licèt enim hoc obtinere non quiuero fortaſſis, vt in eandem mecum Philoſophandi viam regiam, ex Labyrintho Peripatetico tranſſultes: hoc tamen ſi peregero: mitiùs vt poſthac, de viro innocente, pio, & doctrina, virtuteq; præcellentiſſimo, iudicium feras; eumq; tam truculenta, prægrandium quorumcumq; criminum, quorũ reus ab Aduerſarijs impudentiſſimo proclamatur calumniandi conatu ſuſpicione liberes, non in incaſſum laborâſſe mihi viſus ero.

Ad præfractos autem, & vel inuidia, & odio turgidos, vel imperitia deceptos, quod attinet Antagoniſtas: ſi Philoſophiam hanc calumnijs, & contra mentis internum teſtem, rabioſè cõfictis, perrexerint opprimere, technis atq; ſycophantijs: hos Dei, & hominum ſincerè differentium iudicio relinquo: quod procul dubiò falſi teſtimonij, contra conſcientiæ notionem lati, quo viros innocentes, & doctrina virtuteq; magnos damnant: ac ſanam de rebus humanis doctrinam ſupprimere tentant: pœnam ſuo tempore retribuet.

Si verò Philoſophicis armis, ſui Principis defen-

defendendi gratia, nobiſcum congredi libuerit ipſis: hoc cupimus præmonitos, vt & amarulentiam cum conuitijs, quæ ſubſidij plerumq; loco ſecum ferre ſolent, domi relinquant: & quia craſſa Ramiſtarum ſunt ingenia, quæ ſubtilitatis Peripateticæ capacia non ſunt, ab omni ἀκριβείᾳ longiùs abſtruſa tunc abſtinentes, craſſa Minerua, per candidum ſermonem proponant, & παχυμερῶς exponant, quæcunq; non Andabatarum mos, ſed vera ratio ex Logico diſcurſu ſuppeditauerit. Interim tu Lector optime, vale: & veram Philoſophandi, liberamque ſentiendi cum ratione viam ſtrenuè percurre: maleuolorum autem ſæuidicta ne metue: calumnias inuidorum, & ſcommatũ latratus, inſtar canis euomitos, fortiter ſperne. Nam, ſi lubet ita, ſit ſanè:

Veſcatur ſiliquis: glandes qui ſpernit opimas:
Et, bona dum non vult, peßima quæq; probet.

Vt doctiſſimus ille Rameæ Philoſophiæ in Saxonia noſtra propagator propugnatorq; Matthias Bergius memoriæ felicis olim cecinit.

Soli Deo.

FRANCOFVRTI AD
MOENVM, EXCVDEBAT
Iohannes Spies.



Anno

M. D. XCV.

E N
PERS
PHILC
E T D E
Errorur
LIC

CVM D
& ob
HIS I
1. Vita & E
2. Methodu
3. Methodu
4. Disputat
5. Disputati
LANT
6. Refutatio
stimon

HENN

Typis Io
Io

[illegible]

[illegible]

Ego fran[illegible] [illegible]

[illegible]

Cantor

…cellane…
…cholastica